
ACADEMIÆ HARVARDIANÆ SIGILLUM
VE RI TAS
1638.
FROM THE
DONATION FUND
OF
MDCCCXLII.

DE CURATORIBUS EMPORII ET NAUTODICIS APUD ATHENIENSES

DISPUTATIO

QUAM

OB CONCESSAM SIBI A SUMMIS STUDIORUM APUD CATHOLICOS PATRIÆ SUÆ GUBERNATORIBUS FACULTATEM PUBLICE DOCENDI IN GYMNASIO, QUOD EST FRIBURGI BADARUM,

SCRIPSIT

ANT. BAUMSTARK,

PHILOSOPH. DOCTOR ET A. A. L. L. MAGISTER,

GYMNASII COLLEGA.

FRIBURGI

TYPIS EXCUDEBAT FRIDERICUS WAGNER.

MDCCCXXVII.

JOH. HENR. BREMIO.

HELVETO - TURICENSI

CANONICO ET AD CAROL. TIGUR. PROFESSORI

VIRO DOCTISSIMO

DE BONIS LITERIS ET RE SCHOLASTICA

MERITISSIMO

S. P.

ANTONIUS BAUMSTARK.

Annus est et supra, Vir Humanissime, ex quo mihi provincia tradendi bonas literas in Gymnasio Friburgensi per summos studiorum apud Catholicos patriae meae gubernatores obtigit. Illud muneris quam naviter et feliciter gesserim, eorum e numero, qui me agentem et potuerunt cognoscere et cognoverunt, periti aestimanto; mihi quidem neque integerrima voluntas, neque candidus rei scholasticae provehendae animus, neque flagrantissimus deerat ardor; si forte minus bene res successerit, et viribus id meis et vero etiam fortunae tribuamus, *πάντων γάρ εἰσι θεοὶ δοτῆρες ἐάων.* Quanto autem amore et studio novam hanc in me receperim professionem, et quam religiose eam mihi colendam ducam, ex meis ipsius verbis, quibus Te usurpavi coram, proximo meo per Helvetiam et vestram urbem itinere, Tute, Vir Elegantissime, non ignoras.

Utut hoc est, volui hac ipsa scriptiuncula, quam Tibi nunc offero in gratiam amicissimae Tuae inde ab illo tempore ad hodiernum usque diem probatae benivolentiae, *suscepti* muneris mei *gravissimi* i. e. *scholastici* aliquod extare monimentum. Selegi autem hanc de curatoribus emporii et nautodicis disputandi materiam, non quo neglectam eam aut male omnino a VV. DD. adhuc tractatam putem, sed eo animo, ut minus dilucide et subtiliter ab aliis explicita in majori ponerentur luce, false tradita corrigerentur, dispersa colligerentur. Qua quidem in re, ut Tuis utar verbis, spero me nusquam inhumanitatis, addo immodestiae, culpam contraxisse; sed, si quid inscio et imprudenti exciderit, ex animo veniam peto; contra autem si haec, ex oratoribus graecis potissimum hausta, disquisitio justo levior Tibi, harum rerum peritissimo judici, videatur, acquiesco in humanitate aliorum VV. DD. et Tua potissimum, qui muneris scholastici improbum laborem et non concessum strenuis ludi magistris otium optime noris.

Sed en! vide, quanta in me exsurgat conditionem nostram ex fastidiosa ignorantia contemnentium hominum infestissima turba, Quidni, conclamitantes, annon melius erat, hominem ad humillimum puerorum erudiendorum officium detrusum et condemnatum, modestia involutum, conticuisse, quam eo elaborasse, ut infortunii sui publicum etiam conderet monimentum, publice loquentem produceret testem? Quam ingratus labor, totos dies ver-

sari inter pueros, inter invitos praesertim, et substrictis veluti auriculis horam, quae se carcere emittat, expectantes; inter petulantes, morosos, pigros, reluctantes disciplinae! Quid est quod de squalore, odore molesto, pulvere denique ludi glorieris, quas res politiores omnes adversantur? [1]) Quid indefessum et ad extremum usque vitae curriculum capessendum infelicissimum laborem, quid paupertatem jactas, unam istam impudentissimam vitae ordinisque vestri sociam? Nonne miseria est, contemni; ad ipsum statim nomen scholae et scholasticorum hominum nauseare plerosque, adeo ut satis sit, paedagogum esse ad hoc, ut ludibrio lepidorum hominum aliquis sit expositus?

Haec talia non fingi a me, sed vera proferri, unusquisque sciet, qui vel uno tantum die in nostra palaestra consumto in malivolorum hominum et rem scholasticam cum magistris aspernantium sermones et rumores incurrerit, et benivolorum etiam, qui minus tamen rem norunt, solatia sit expertus. Fuit enim eritque semper disciplina scholastica iis despectui, qui laboribus ferendis impares omnia ex ipsorum

---

1) Multus est in recensendis et refellendis his osorum rei scholasticae reprehensionibus, qui harum rerum a triginta amplius annis usum aliquem, ut ait, in magna varietate jactatus, habuit, *Joh. Matth. Gesner*, in orat. *de felicitate docentium in scholis.* (Opusec. T. I. p. 59 sqq.) Qui in explicanda magistrorum Felicitate eo usque progreditur, *bonus et integer*, ut affirmet, illud ipsum cum pueris contubernium propter vaporem e puerilibus corporibus sanis mundisque exhalantem ad sanitatem et producendam adeo vitam multum valere, eamque ipsam inter causas non vana ratione referri, quod multi in scholis ad crudam vegetamque senectutem pervenirent.

commodis, voluptate, pecunia, et ignavis honoribus metiuntur; qui vitam non laute, non sumptuose agere morte tristius putant; qui id solum sectantur, ut veram vivendi rationem, quæ est officiosissima, fugientes somno soporeque vitam transigant ludibundi; denique vero ii potissimum nostram infestant rem, qui ab omni adcuratiore doctrina vel penitus destituti nihil sciunt et omnes oderunt, qui se literis promovendis consecrant, vel obiter tantum literis degustatis, superbae dediti pigritiae, eos adversantur inimicissime, quorum est munus, pueris severe et salubriter erudiendis, ignorantiam comprimere, semidoctis et minutis philosophis fucum adimere, et juventuti verae sinceræque doctrinæ certissimam patefacere viam.

Sed nimis jam Te, Vir Suavissime, hisce futilibus hominum *ἀπροσδιονύσων* sermocinationibus sum moratus. Gravissimum est et ingeniosissimis viris dignissimum munus, in teneris puerorum animis bonarum literarum fundamenta jacere eosque explicandis veterum scriptis ad sapientiae et pietatis elementa erudire; tantumque abest, ut professionis nostrae molestiis unquam a strenue perficiendo opere deterrear, ut in bene administranda provincia, quam mihi maximopere congratulor, omnibus contendam viribus. Nam quod optimi quique conqueruntur magistri, quodque in me praecipue cadere experientia sum edoctus, cum boni me viri officio functum esse putem, expostulatum venire mecum et questum injuriam eos, quorum me liberis optime consulere et consuluisse mihi constet,

ne hac quidem, quamquam ingratissima, re a semel incepta via et instituta ratione repellar; gemant tenellae materculae, quae tum demum gaudent, cum filiolis nihil imponitur; earum voculas et rumusculos contemno; fremant patres, qui solam indulgentiam in magistro exigunt; ego non meam, sed publicam gero rem. Inveniuntur enim non raro ludi magistri, qui neglecta officii sui ratione et ea, quae necessario antea conquirenda et comparanda erat, carentes doctrina, quamque ne agendo quidem consectantur, id solum faciunt, ut quam sibi re ipsa conciliare nequeunt viri idonei et gravis auctoritatem dulciuscula cum insipidis parentibus confabulatione assequi connitantur; quorum quidem ratio quanto magis a severo et frugifero benivolorum praeceptorum instituto abhorret, eo magis laudatur et rei scholasticae officit. Nam non solum ipsi nihil agunt, sed etiam hominum sincerorum in literis promovendis studia deprimunt, criminantur veram et salutarem disciplinam, a qua sunt alienissimi, ut et ipsi aliquid dixisse et fecisse videantur, quod in eos propter ingenii sterilitatem et eruditionis defectum nullo umquam tempore aut modo, si bene res agitur, cadere potest. Sed ne longus sim in hac tristi enarranda re, Tu, Vir Intelligentissime, certo scio, hos homullos bene nosti. Nos interim ne umquam industria excedamus, numquam injurias nostras persequamur, æquabili quodam amoris ac disciplinae tenore complectamur universos, Deumque O. M. pie rogemus, ut incepta nostra benigne fausteque foveat, fortunet, prosperet!

En habes, Vir Laudatissime, quam tibi exposui, causam rationemque, quibus ductus muneris, quod alii infelix putant, suscepti felicitatem publice mihi celebrandam sumserim; sed alia eaque jucundissima res accedit. Profiteor enim in ea schola, quae summo et docentium et discentium fervore et amore laetissime floreat; nitor Rectoris doctissimi humanitate, conquiesco in suavissimorum collegarum charissimo sinu; in urbe dego, literarum sede, ornata viris doctissimis, quorum favore in literis colendis insigniter adjuvor. Nam ut *Henr. Schreiberi,* Theologiæ professoris doctissimi, nuperrime admodum Rectoris nostri, propensissimum in me animum taceam, par tantum eorum nominasse juvat, *Leon.* dico *Hugium, τὸν πάνυ,* et *Carol. Zellium,* VV. DD., quorum uterque et re et verbis studia mea moderatur inque majorem modum provehit, ut mire mecum fortuna ègisse videatur, quae me, e *Frid. Creuzeri* et *Frid. Christ. Schlosseri* amicissima et saluberrima disciplina vix emissum in talium virorum amorem amicitiaeque veluti complexum deduxerit. Vale, Vir Doctissime, mihique fave!

Dabam ipsis Calendis Octobribus anni MDCCCXXVII.

I.

EXPONITUR DE EMPORIO ATHENIENSI.

Neminem fugit, non modo totius Graeciae incolas in universum, sed inprimis Athenienses, remotissimis etiam Graecanicae antiquitatis temporibus, navigationi eximie operam dedisse. Cui quidem rei cum Athenienses nullo non tempore se dicarent, terram colentes, huic exercitationi aptissimam, factum est temporum cursu, ut perpetratis ii insignibus illis bellorum Persicorum facinoribus non modo inter Graeciae populos tenerent principatum, sed maris etiam dominatum obtinerent urbemque suam et terram totius fere orbis terrarum communem portum ac navale exhiberent. [2]) Confluebat Athenas omnis generis peregrinorum infinita multitudo, nunc literarum artiumque et vitae laute atque eleganter degendae gratia; nunc opificiorum et mercaturae

---

2) Thucyd. II, 38. 39. *ἐπεισέρχεται δὲ διὰ μέγεθος τῆς πόλεως ἐκ πάσης γῆς τὰ πάντα. — τήν τε γὰρ πόλιν κοίνην παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξενηλασίαις ἀπείργομέν τινα* κ. τ. λ. Isocrat. Paneg. p. 67. ed. Bekk. cf. Meursium. Fort. Att. c. IV.

exercendae indeque quaestus faciundi causa.[3]) Eorum autem, qui mercaturam factitarent, duo potissimum erant genera. Alterum idque amplioris ordinis eorum fuit, qui inde fere quaestum quaererent, ut aere plerumque alieno certis quibusdam et statis in hanc rem conditionibus contracto, merces Athenis coëmerent, iisque in suam ipsorum vel navicularii alicujus navem impositis, in terram aliquam transmarinam, mercatura florentem, ut Bosporus fere erat et Chersonesus Taurica, navigarent, e qua divenditis, quas asportassent, et coëmtis novis mercibus, decederent cursumque suum eodem modo Athenas reciperent; verbo, qui m a j o r i b u s tantum rebus negociantes in unaquaque terra v. c. Athenis ea tantum divenderent, quae ex peregrina advexissent conquisita regione.[4]) Reliquam tenuem istam et exiguam merca-

---

3) Meurs. l. l. Xenoph. de vectigg. II, 2. de Republ. Aths. I, 10. Bœckh. Oecon. civit. Ath. I, 48. F. A. Wolf. prolegg. in Lept. p. 69. nota 42. In recensu incolarum Atticae, quem Demetrius Phalereus egit, inventi sunt *μέτοικοι* 10000, cives 21000. servi 40000. Bene quadrant ob hanc rem in civitatem Atheniensem verba Pollucis On. IX. 21. sq. *ξένου λεὼ μεστὴν, πολύξενον, ξενίζουσαν, ἀλλοφύλου δήμου πλέαν, ἐπεισακτοῦ τροφῆς δεομένην, οὐκ ἀρκοῦσαν τρέφειν τοὺς οἰκήτορας, εἰσαγωγῆς χρήζουσαν, ἣν ἡ θάλαττα μᾶλλον τῆς γῆς τρέφει, ἣν ἔμποροι μᾶλλον τῶν γεωργῶν τρέφουσιν.*

4) Hi proprie appellantur *ἔμποροι*. cf. Prolegomena mea in orat. Demosth. adv. Phorm. p. 28 sq. Hesych. T. I, p. 1205: *ἔ μ π ο ρ ο ς πραγματευτής· καὶ ὁ ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς πλέων μισθοῦ, ὁ ἐπιβατής.* cf. Homeri Odyss. *ώ*, v. 299. ibq. Schol. *β'*, v. 319. Suidas v. *ἔ μ π ο ρ ο ς. ὁ πραγματευτικὸς ἄνθρωπος· κυρίως δὲ, ὁ πλέων θάλασσαν. παρὰ τὸ πόρος, πόρος δὲ κυρίως ἐπὶ ὑγρῶν λέγεται. ἄλλως· ὁ ναύλου* (delendum est *ἕνεκα*) *πλέων ἐπ' ἀλλοτρίας νεώς.* cf. Bœckh. Oecon. civit. Aths. I, p. 336. Est enim *ὁ ἔμπορος vector,* sive *qui aliena*

turam *κάπηλοι* [5]) exercebant, qui alterum constituentes genus in foro desidebant ad emendum vendendumque merces ab illis majorum gentium mercatoribus vel undecunque sumptas; Latinis caupones vocantur et propolae. Hi cum *ἀγοραίοις*, qui paene erant ex agricolarum numero, agrorum proventus distrahentium, forum i. e. *τὴν ἀγορὰν* obtinebant, quae in urbe pariter erat atque in portubus; prius autem illud graviorum mercatorum genus in eo loco transigebant, qui ab ipsis *ἐμπορίου* nomen traxit.[6]) Primis enim jam civitatis Atticae temporibus, inde-

---

navi pro mercede vehitur; hæc est propria et antiquissima vocis significatio. Postea vero cœpit *mercatorem* significare, quoniam id genus hominum lucri causa naves conscendere sive maria navigare solet. Alberti ad Hesych. l. l. Unde Pollux eos inter navigantium genera recenset, Onom. I, 95. Adde Zonar. p. 698. *ἔμπορος· διὰ παντὸς τοῦ βίου τὴν πορείαν ποιούμενος* cf. Schol. Aristoph. ad Plut. v. 521. 905. 1180.

5) v. Kuhnium ad Polluc. I, 50. Suidas v. *κάπηλος: ὁ μετάβολος παντὸς πράγματος.* Hesych. T. II, p. 140: *κάπηλος· μεταπράτης· ὁ τὰ πρὸς τὴν κάπην πιπράσκων· κάπη δὲ ἡ τροφή,* ad quem locum vide Albert. multos laudantem viros doctos, qui de hac re egerunt. Idem Hesych. exponit *κάπηλα· ἡ κρεώπωλις ἀγορά.* i. e. macellum. *Αὐτοπῶλαι* sunt qui suos reditus in patria vendunt, *οἱ τὰς ἑαυτῶν προσόδους ἐν τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ πωλοῦντες. Κάπηλος ὁ ἀπὸ τοῦ αὐτοπώλου ἀγοράζων καὶ πωλῶν ἐν τῇ χώρᾳ. ἔμπορος ὁ ἀγοράζων καὶ ἐπὶ ξένης πωλῶν, ἢ ἀπὸ τοῦ αὐτοπώλου, ἢ ἀπὸ τοῦ καπήλου ὠνούμενος.*

6) Non solum locum et habitationem *τῶν ἐμπόρων* significat vox *ἐμπόριον*, sed tributum etiam eorundem, veluti peregrinorum; de qua re infra fusius tractabimus. Idem notandum est in vocabulo *μετοίκιον*, quod tributum non solum sed forum etiam aliquod inquilinorum significasse videtur. cf. Meursium Att. Lectt. I, c. 9.

que a Themistoclis praesertim aetate, Atheniensium potestate et copiis maritimis aeque ac mercatura accrescentibus, quicunque reipublicae administrandae praeerant, praecipuam ejus rei habebant curam, ut portubus cum navigationi tum mercaturae idoneis Atticam ornarent. Quo quidem prudentissimo studio paullatim evenit, ut inter tres Athenarum portus, [7]) Munychiam dico Phalerum atque Piraeeum, postremus eo usque augeretur, perficeretur et celebraretur, ut nova paene videretur esse urbs, saltem magna Athenarum esset pars. [8]) Geminum ibi erat forum; alterum eorum, qui erant remotiores; alterum, Hippodamium appellatum, juxta magnam porticum (*μακρὰν στοὰν*), eorum, qui ad mare habitabant. Hic mercatus erat celeberrimus omnisque generis mercibus frequentissimus, qui quidem ut, quam posset adcuratissime et justissime, haberetur, dicatus ei erat proprius locus, illud ipsum, de quo agimus, E m p o r i u m. [9]) Illic omnis navigationi et

---

7) Cf. Meursium in Piraeeo c. 9.

8) Meurs. l. l. c. 5. idem in Att. Lectt. I, c. 19. Erant ibidem navalia, a Themistocle illuc translata, et portus triplex cum Nauclerorum diversoriis (Meursius Pirae. c. 3); celeberrima porro deorum templa, denique splendidae porticus; de quibus Meursius l. l. passim exponit.

9) Suidas: *ἐ μ π ό ρ ι ο ν· ἐπιτήδειον ἐμπορίας. Etymol. Gud.* p. 185. *ἔμπορος, ὁ πραγματευτὴς, καὶ ὁ τόπος αὐτὸς ἐ μ - π ό ρ ι ο ν. τί λέγεται ἐμπόριον; ὁ κατάβολος, ἔνθα καταβάλλει τις τὴν ἰδίαν ἐμπορίαν.* Memorantur apud veteres auctores aliarum etiam regionum *emporia*, imprimis apud Demosthenem v. c. de Halonneso p. 79. *καὶ τοῖς ἐκεῖ ἐμπορίοις* sc. *ἐν τῇ Μακεδονίᾳ* Olynth. I, p. 22. Philipp. I. p. 49. Kersocleptis, Thraciae reguli, emporia occurrunt adv. Aristocrat. p. 657, 9. cf. Lysiam adv. Dardan. p. 721; neque solum

mercaturae operantium multitudo degebat, conveniebat, transigebat; ibi ipsa mercatura et omne genus negociationum exercebatur; illuc denique omnibus, quicunque Athenis ex lege distrahere merces in animo habebant, erat devehendum et conveniendum.[10]) Pollux Onom. IX, 34: *τὰ δὲ περὶ τοὺς λιμένας μέρη, δεῖγμα, χῶμα, ἐμπόριον· καὶ ὡς Ὑπερίδης φησὶν, ἐξαίρεσις, ὅπου τὰ φορτία ἐξαιρεῖται· ὥςπερ καὶ τὸ δεῖγμα, τοὔνομα ἀπὸ τοῦ δεῖγμα τῶν ἀγωγίμων τοῖς ὠνητιῶσι δεδόσθαι. Τοῦ δ' ἐμπορίου μέρη, καπηλεῖα, καὶ πορνεῖα, ἃ καὶ οἰκήματα ἄν τις εἴποι· καὶ τὸ πλῆθος οὐ ναυτικὸν μόνον, ὅσον ἐν τοῖς περὶ νεῶν ἐστιν εἰρημένον, ἀλλ' ἔμποροι, καὶ κάπηλοι, καὶ ὅσα ἔχεις ἐν τοῖς περὶ τὰς τέχνας.* Harpocratio: *δεῖγμα, κυρίως μὲν τὸ δεικνύμενον ἀφ' ἑκάστου τῶν πωλουμένων· ἤδη δὲ καὶ τόπος τις ἐν τῷ Ἀθήνησιν ἐμπορίῳ, εἰς ὃν τὰ δείγματα ἐκομίζετο· ἐστὶ δὲ ἔθος Ἀττικὸν* [11]), *τὸ σημαίνειν ἀπὸ τῶν ἐν τῷ τόπῳ τοὺς τόπους αὐτούς.*

Conjunctum enim erat Emporium cum peculiari ad mercium specimina exhibenda loco, quem vocabant *δεῖγμα*; [12]) finitum ejus spatium certis quibus-

---

maritima sed mediterranea etiam occurrunt emporia. v. Dionys. Halic. Antiqq. Rom. p. 1358, 14: *ἐμπόρια παραθαλάττια καὶ μεσόγεια.* Latini graecum vocabulum civitate donarunt; v. quos laudat *Gesner.* in thes. Lat., Cic. ad Att. 5, 2. Liv. 41, 26. 36, 21. Plaut. Amphitr. 13, 4. Plin. 5, 9. Rutil. 1, 532. *forum nundinarium* vertit Plin. 8, 5.

10) Quod interdum ab hominibus fallacibus negligebatur. Demosth. adv. Lacrit. p. 932. v. Bœck. Oecon. Civ. Ath. I, 361.

11) v. Græv. Lectt. Hesiodd. c. 19 et Taylor. Lectt. Lysiacc. c. 12. p. 720. s.

12) Bekk. Anecdd. I, 237. *δεῖγμά ἐστι τόπος τις ἐν τῷ Πειραιεῖ,*

dam limitibus[13]), divisum praeterea in duas partes, et *ἀστικὸν ἐμπόριον*, in quo cum civibus cives, et *ξενικὸν*, in quo cum civibus et peregrinis peregrini negotiabantur. [14]) Ceterum latiore etiam sensu voces

---

ἔνθα ἐδείκνυτο σῖτος καὶ ἄλλα ὄσπρια διὰ δείγματος. ἀπὸ τούτου μέντοι καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχει. cf. Suid. v. ibq. Kust. Meurs. Pirae. c. 5. interpp. ad Hesych. I, p. 900. Casaub. ad Theophr. Charr. c. XXIII. p. 201. ed. Ast. quem vide. adde interpp. ad Demosth. p. 1214, 18, et 932, 21; ubi adfertur scholion marginis Lutetianæ: *δεῖγμα τόπος τις ἐστὶν ἐν τῷ Ἀθήνησιν ἐμπορίῳ, εἰς ὃν τὰ δείγματα ἐκομίζοντο, καλούμενος οὕτως κ. τ. λ.*

13) Hoc colligo ex loco Demosth. antea laudato adv. Lacrit. p. 932: *οὗτος* (sc. *Λάκριτος*) *ἦν ὁ πάντα ταῦτα διοικῶν· ἐπειδὴ γὰρ ἀφίκοντο δεῦρο* (Lacritus cum sociis), *εἰς μὲν τὸ ὑμέτερον ἐμπόριον οὐ καταπλέουσιν, εἰς φωρῶν δὲ λιμένα ὁρμίζονται, ὅς ἐστιν ἔξω τῶν σημείων τοῦ ὑμετέρου ἐμπορίου* (cf. de re ipsa Boeckh. oecon. civ. Ath. I, 361.) *καὶ ἔστιν ὅμοιον εἰς φωρῶν λιμένα ὁρμίσασθαι, ὥσπερ ἂν εἴτις εἰς Αἴγιναν ἢ εἰς Μέγαρα ὁρμίσαιτο. ἔξεστι γὰρ ἀποπλεῖν ἐκ τοῦ λιμένος τούτου, ὅποι τις ἂν βούληται καὶ ὁπηνίκ' ἂν δοκῇ αὐτῷ· καὶ τὸ μὲν πλοῖον ὥρμει ἐνταῦθα πλείους ἢ πέντε καὶ εἴκοσιν ἡμέρας, οὗτοι δὲ περιεπάτουν ἐν τῷ δείγματι τῷ ὑμετέρῳ, καὶ ἡμεῖς προσιόντες διελεγόμεθα κ. τ. λ.*

14) Bekk. Anecdd. I, 456. *ἀστικὸν ἐμπόριον, ἐν ᾧ οἱ ἀστοὶ Ἀθήνησιν ἐνεπορεύοντο· ἦν δὲ καὶ ἄλλο ξενικὸν, ἐν ᾧ οἱ ξένοι.* id. p. 284. *ξενικὸν ἐμπόριον, ὅπου οἱ ξένοι ἐμπορεύονται· ἀστικὸν δὲ, ὅπου οἱ ἀστικοί.* idem eadem habet p. 208. cf. Boeckh. l. l. I, p. 336, cui immerito hæc Grammatici notitia suspecta esse videtur. *Ἀττικὸν ἐμπόριον*, quod saepissime apud Demosth. aliosque occurrit, dicitur, ut distinguatur ab emporiis aliarum regionum; *ἀστικὸν* autem, ut a *ξενικῷ*, quod est utrumque *ἀττικόν*; erat autem alia civium cum civibus, alia peregrinorum cum peregrinis et civibus transigendi ratio, quam latius alio loco explicabimus.

ἐμπόριον et *δεῖγμα* usurpantur; illud totum significans Piraeeum, [15]) hoc vero Emporium, proprie dictum. [16])

II.

DISPUTATUR DE SIGNIFICATU ET DISCRIMINE VERBORUM
ἄρχειν, διοικεῖν, et ἐπιμελεῖσθαι.

„Multorum, inquit Aristoteles, [17]) curatorum et praefectorum civilis societas eget; neque tamen eos omnes, sive sorte capiuntur, sive suffragiis creantur, magistratuum loco haberi oportet; veluti primum sacerdotes, quorum munus multum a civili potestate disjunctum est; porro choregos et praecones, itemque legatos, qui et ipsi a civibus creari solent. Sed [18]) curationes aliae civiles sunt, quae aut ad

---

15) Isocrat. Panegyr. p. 53 ed. Bekk. *ἐμπόριον γὰρ ἐν μέσῳ τῆς Ἑλλάδος τὸν Πειραιᾶ κατεσκευάσατο, τοσαύτην ἔχονθ' ὑπερβολήν, ὥσθ' ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἓν παρ' ἑκάστων χαλεπόν ἐστι λαβεῖν, ταῦθ' ἅπαντα παρ' αὐτῆς (τῆς πόλεως) ῥᾴδιον εἶναι πορίσασθαι.*

16) Demosth. adv. Polycl. p. 1214.

17) Polit. IV, c. 12. p. 144 ed. Goettl. Interprete *Schömanno* de comitt. Athss. p. 307, sq.

18) *Εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πολιτικαὶ τῶν ἐπιμελειῶν ἢ πάντων τῶν πολιτικῶν πρός τινα πρᾶξιν, οἷον στρατηγὸς στρατευομένων ἢ κατὰ μέρος, οἷον ὁ γυναικονόμος ἢ παιδονόμος· αἱ δ' οἰκονομικαί· πολλάκις αἱροῦνται σιτομέτρας· αἱ δ' ὑπηρετικαί, πρὸς ἅς, ἂν εὐπορῶσι, τάττουσι δούλους· Μάλιστα δ' ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ*

omnes cives pertinent, quoad certam quandam rem ac negotium; velut imperatori omnes subjecti sunt militántes; aut ad partem aliquam, cujusmodi eorum est curatio, qui *γυναικονόμοι* et *παιδονόμοι* appellantur. Aliae curationes oeconomicae sunt, velut eorcum, qui saepe creari solent, *σιτομετρῶν*; aliae denique ministeriis adnumerandae sunt, quae quidem in opulentioribus civitatibus servis mandari solent. Magistratus autem ii potissimum vocandi sunt, quibus tributum est, ut de rebus quibusdam consulant et judicent et imperent; atque hoc quidem praecipue, ut imperent. *Τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστιν.* Sed ad communem usum non magni momenti est haec quaestio.»

Ad quem locum Goettlingius, V. D., cum hoc discrimen inter *ἀρχὰς* (magistratus), *ἐπιμελείας* (curationes) et *ὑπηρεσίας* (ministeria) non fuisse politicum apud Athenienses, potius esse philologicum, ab Aristotele excogitatum, animadvertat, ea tenus tantum recte observat, ut statuatur, Athenis eos, qui plus minusve administranda republica occuparentur, non dispositos quidem et quasi in ordines collocatos fuisse secundum hanc ab Aristotele traditam rationem, sed re tamen usuque presse ad Philosophi mentem fuisse discriminatos, ut nulla umquam de hac re incideret severior disceptatio; id quod clare docent verba: *οὐ γάρ πω κρίσις γέγονεν ἀμφισβη-*

τινων, καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο· τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστιν· Ἀλλὰ ταῦτα διαφέρει πρὸς μὲν τὰς χρήσεις οὐδὲν ὡς εἰπεῖν· οὐ γάρ πω κρίσις γέγονεν ἀμφισβητούντων περὶ τοῦ ὀνόματος· ἔχει δέ τιν' ἄλλην διανοητικὴν πραγματείαν.

τούτων περὶ τοῦ ὀνόματος, quod fieri omnino erat necesse, si re usuque esset fluctuatum. Qua quidem de re ita mihi est persuasum, ut certus sim, Aristotelem in explicando loco de magistratibus cum ceterarum quas describeret civitatium, tum de magistratibus Atheniensium tractantem hanc in omnes fere respublicas patentem rationem atque normam fuisse secutum,[19]) (ἔχει γάρ τιν' ἄλλην διανοητικὴν πραγματείαν); ut hoc etiam nomine praeclari illius operis περὶ τῶν πολιτειῶν jactura sit deploranda. Sed en nobis summum Philosophum Atheniensem, qui quum de harum rerum nominibus numquam esse certatum neque dubitatum contendat, ne Aeschinem quidem cognovisse videtur. Is enim in oratione adversus Ctesiphontem, ut demonstret, Demosthenem, tamquam τειχοποιὸν, esse ὑπεύθυνον, neque potuisse illum ante redditas muneris rationes publice pronunciari, qui corona decoraretur, λέξουσι, inquit, p. 286 sqq. ed. Brem. ὡς ἄρα, ὅσα τις αἱρετὸς[20]) ὢν πράττει κατὰ ψήφισμα, οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχή, ἀλλ' ἐπιμέλειά τις καὶ διακονία· ἀρχὰς δὲ φήσουσιν ἐκείνας εἶναι, ἃς οἱ θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ, κἀκείνας, ἃς ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις, στρατηγοὺς καὶ

19) Id *Carol. Fried. Neumann* in collectione reliquiarum hujus Aristotelici operis, p. 54, indicare mihi voluisse videtur.

20) Tres fuerunt Athenis creandorum *magistratuum*, si latissimo haec vox sumitur sensu, modi; nam aut in comitiis creabantur totius populi suffragiis, aut sorte a Thesmothetis in Thesei templo, aut in tribuum et curiarum conventubus, tribulium et curialium suffragiis; hi *αἱρετοὶ* sunt; qui in comitiis eligebantur, propositi ab Archontibus, *χειροτονητοί*; medii, qui sorte, *κληρωτοί*. *οἱ αἱρετοὶ* nihil fere erant nisi veri *ἐπιμεληταί*. v. Schömann. de comitt. Athss. p. 310. Sigon. de Rep. Ath. IV, 1.

ἱππάρχους [21]) καὶ τὰς μετὰ τούτων ἀρχάς, τὰ δ'ἄλλα πάντα πραγματείας προστεταγμένας [22]) κατὰ ψήφισμα. ἐγὼ δὲ πρὸς τοὺς λόγους τοὺς τούτων νόμον ὑμέτερον παρέξομαι, ὃν ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε λύσειν ἡγούμενοι τὰς τοιαύτας προφάσεις, ἐν ᾧ διαῤῥήδην γέγραπται, «τὰς χειροτονητάς» φησιν «ἀρχὰς» ἁπάσας περιλαβὼν ὀνόματι ὁ νομοθέτης, καὶ προσειπὼν ἀρχὰς[23]) ἁπάσας εἶναι ἃς ὁ δῆμος χειροτονεῖ, «καὶ τοὺς ἐπιστάτας» φησὶ «τῶν δημοσίων ἔργων.» ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιός, ἐπιστάτης τοῦ μεγίστου [24]) τῶν ἔργων· «καὶ πάντας, ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων.» οἱ δὲ τῶν ἔργων ἐπιστάται πάντες ἡγε-

---

21) Videtur h. l. Aeschines repugnare Aristoteli. Rem infra explicabimus.

22) *Τὰς προστεταγμένας πραγματείας* ratione *ἀρχῶν* esse *molesta opera* bene ad h. l. observat *Bremius*; nam deest *τὸ ἐπιτάττειν*, ut cum Aristotele loquar; et quod a republica mandatum atque injunctum est, id ne judicio quidem suo atque arbitratu perficere iis licet, ut qui adcuratissimas cogantur reddere rationes et populisciti verbis sint adstricti; hoc enim sibi vult: *κατὰ ψήφισμα.*

23) p. 293 vocatur Demosthenes *ἄρχων μὲν τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἀρχὴν, ἄρχων δὲ τὴν τῶν τειχοποιῶν, οὐδετέρας δέ πω τῶν ἀρχῶν τούτων λόγον ὑμῖν οὐδ' εὐθύνας δεδωκώς.* Eamdem Aeschines vim vocabulo *ἀρχῇ* infert p. 294, cum *ἦρχον δὲ*, inquit, *τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρίων ἀρχήν.*

24) Est haec fallax hyperbole rhetorica; non minus grave, in Atheniensium praesertim civitate, erat v. c. *τὸ τοῦ ναυπηγεῖσθαι ἔργον*; ut mirer Boeckhium, V. Clar., qui e nostro loco summam aliquam et nimis gravem curatorum muris reficiendis auctoritatem collegisse videtur. Oecon. civ. Ath. I, 217. v. infra n. 30.

μονίᾳ χρῶνται δικαστηρίου;[25]) τί τούτους κελεύει ποιεῖν; οὐ διακονεῖν, ἀλλ' ἄρχειν[26]) δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἐπειδὴ καὶ αἱ κληρωταὶ ἀρχαὶ οὐκ ἀδοκίμαστοι, ἀλλὰ δοκιμασθεῖσαι ἄρχουσι, καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς, κελεύει. p. 297. ἔστι γάρ, ὦ Ἀθηναῖοι, τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς εἴδη τρία, ὧν ἓν μὲν καὶ πᾶσι φανερώτατον οἱ κληρωτοὶ καὶ οἱ χειροτονητοὶ ἄρχοντες, δεύτερον δὲ ὅσοι τι διαχειρίζουσι τῶν τῆς πόλεως ὑπὲρ τριάκοντα ἡμέρας καὶ οἱ τῶν δημοσίων ἔργων ἐπιστάται· τρίτον[27]) δ' ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται, καὶ εἴ τινες

25) Hoc nullo umquam loco Aeschines probavit; ut hanc etiam ob rem fallaciae possit argui. Bene igitur *Bremius* ad h. l. „Quamquam vero, inquit, non Archontibus solum hoc τῆς ἡγεμονίας τοῦ δικαστηρίου jus competeret (v. Matthiae Misc. Phil. p. 242), τειχοποιῷ tamen nonnisi ea ratione id tribui potest, quatenus erat praeses collegii, quod probaret opera ex pacto redemta; non erat ita ipse in sua re judex, sed praeses judicii artis experitorum.“ Sed difficillimus est hic δε ἡγεμομονίᾳ δικαστηρίου locus et multis implicitus non solum impedimentis sed erroribus etiam. Commentabimur aliquid in hanc rem proximo capite, et mox etiam σὺν θεῷ peculiari scriptione.

26) En iterum habes ad impudentiam usque fallacem et captiosum sophistam. „Urget Aeschines vocabulum legis, quae non de munere τειχοποιοῦ, sed de ἀρχαῖς *proprio nomine* sic dictis lata erat. Hinc addidit, quod ipsum ἄρχειν spectat, δοκιμασθέντας ἐν δικαστηρίῳ.“ Sic optime *Bremius*.

27) Sed hic tandem admirari mihi debes hominis insolentem perversitatem. Sane vero pessima verborum depravatione belle quaesitum e prioribus mendaciis mendacissimum corollarium. Laudes mihi, quaeso, dilaudesque subtilem hanc argumentationem: Primi verique magistratus ὑπεύθυνοι sunt; ergo infimi etiam curatores et ministri, quibus post administratam rem ratio est reddenda, cum primis illis ejusdem sunt ordinis, ejusdemque auctoritatis! Eheu, jam sat est!

ἄλλοι αἱρετοὶ ἡγεμονίας δικαστηρίων λαμβάνουσι h. e. οὓς αἱ φυλαὶ καὶ αἱ τριττύες καὶ οἱ δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν, ὅταν ἐπιταχθῇ τι ταῖς φυλαῖς, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι, ἢ τριήρεις ναυπηγεῖσθαι.

Hactenus Aeschines; nos brevitati studeamus in re apertissima. Poterat Aristoteles bene nosse hunc Aeschinis locum, et, nullus dubito, noverat eum; nihil tamen is Philosophi sententiam evertit. Integrum enim Oratoris argumentum nihil est aliud, nisi ingeniosi, sed calumnosi etiam et mendacis (qualem se in oratione adversus Ctesiphontem praecipue praestitit) rhetoris sophistica hariolatio et verborum maligna depravatio; sophistam enim agit, cum, quod latiore vocis sensu ἀρχὴ dici poterat et a Demosthene ipso dicebatur, munus τειχοποιοῦ, id angustiori vocis vi ἀρχὴν nominandum esse contendit. Ipse enim Demosthenes in oratione pro Corona, Aeschineae illi adversaria, ἦρχον, inquit, [28] καὶ δέδωκά γε εὐθύνας, cum tamen munus ejus, i. e. τειχοποιοῦ, mera esset ἐπιμέλεια, ut ex populisciti, quod statim [29] subjicitur, verbis liquido patet: ἐπειδὴ Δημοσθένης Δημοσθένους, Παιανιεύς, γενόμενος ἐπιμελητὴς τῆς τῶν τειχῶν ἐπισκευῆς — ἐπέδωκε ταῦτα τῷ δήμῳ, κ. τ. λ. [30] Nam ponas tibi tandem, quaeso,

28) p. 240. ed. Harl.

29) p. 244 ed. Harl.

30) Julius Pollux, Onom. I, 162: καλοῦνται δὲ τειχοποιοὶ, οὐ μόνον οἱ οἰκοδομοῦντες, ἀλλὰ καὶ οἱ τοῦ ἔργου ἐπιστάται, ὡς Δημοσθένης ἑαυτὸν τειχοποιὸν καλεῖ. Idem VIII, 114: καὶ τειχοποιοί τε καὶ ἱεροποιοὶ καὶ βοῶναι ὑπηρεσιῶν ονόματα. cf. Sigon. de Rep. Ath. IV, 3. Arist. Polit. VI, 5. p. 210 ed. Goettl. ubi docemur, munus τειχοποιοῦ partem

ante oculos et in brevi conspectu ipsa ab Aeschine laudatae legis verba, omissis iis, quae orator ad ejus sensum pervertendum addidit. Sunt autem haec: *Τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς, καὶ τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων, καὶ πάντας, ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πολέως πλέον ἢ τριάκοντα ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσι ἡγεμονίας δικαστηρίων, ἄρχειν δοκιμασθέντας καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς.*

Hoc quis unquam Atheniensium infitiatum iverit? Quis vero etiam ex hoc clarissimo legis loco contrariam eruerit rationem, hos omnes, qui ante munus vel ministerium gerendum probationi (*δοκιμασίᾳ*), illo autem gesto rationibus reddendis essent obnoxii, ejusdem ordinis, auctoritatis atque potestatis fuisse, ut perfectissimo vocis sensu vere possent dici *ἀρχαί*? Nonne dilucidissima legis verba inter *ἀρχὰς* optimo nomine, *ἐπιστάτας*, et ceteros, quibus, magistratus dignitate non decoratis, alicujus rei administratio injungitur, adcurate distinguit? Ubinam ergo Aeschines probavit, Domesthenem *ὡς τειχοποιὸν* compendiaria illa actione forensi, quam *ἐπιβολὴν* vocant, suo uti potuisse arbitratu, neque vero superioris magistratus, v. c. *τῶν ἀστυνόμων*, necessaria, quae ad eum redundaret, auctoritate? Ubinam porro, ut hoc oratori concedamus, is probavit, omnes rei publicae administratores, qui hoc poenae infligendae (*ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν*) jure uterentur, in eundem venire censum? Qua ille denique ratione ex-

esse *τῆς ἀστυνομίας*, quocum conjunguntur *οἱ τῶν κρηνῶν ἐπιμεληταὶ*, curatores fontium et aquaeductuum, itemque *οἱ τῶν λιμένων φύλακες*. v. Goettl. p. 421. Boeckh. l. l. I, 217; qui Aeschini nimis confidens Pollucem mendacii arguit.

plicuit, curatores muris reficiendis certa atque perpetua et adcurate circumscripta ἡγεμονίᾳ δικαστηρίου gavisos, neque solum a populo ipso vel magistratibus amplioris ordinis v. c. ab Archontibus, ubi ipsorum consilio, experientia et auxilio opus esset, in hanc rem fuisse adhibitos, quod postremum quidem nemo negaverit? [31]) Fallax igitur est mendacissimi rhetoris perversa demonstratio, neque ea impedimur, quo minus totos nos Aristotelicae, quam supra exposuimus, rationi addicamus.[32])

Sed ad propositum revertimur, quo vim et discrimen verborum ἄρχειν, ἐπιμελεῖσθαι et διοικεῖν nobis explicandum sumsimus; quorum igitur postremum διοικεῖν latissime patere videtur. Est enim in universum, quodcunque susceperis agendum, instituere id et facere secundum certam quandam legem et normam; rem gerere et regere.[33]) Hinc explicandae dictiones τὰ τῆς πόλεως, sive τὰ πρὸς τὴν πόλιν διοικεῖν, et ἡ τῆς πόλεως διοίκησις, quae de uni-

31) Recte igitur *Bremius* ad Aeschin. l. l. Quamquam vero, inquit, non Archontibus solis hoc jus competeret, rhetoricae tamen hyperboles est, τειχοποιῷ ἡγεμονίαν δικαστηρίου adscribere. Quod addit *Orellius*, τὸν τειχοποιὸν eo modo fuisse ἡγεμόνα τοῦ δικαστηρίου, ut in ratione reddenda a redemtoribus operum publicorum illa ipsa opera, ut Latini loquebantur, *probaret*, id nonnisi auspiciis ampliorum magistratuum fieri potuisse videtur, quod Aeschinis etiam verba indicant, qui non ἔχουσι τὴν ἡγεμονίαν dicit, sed λαμβάνουσι et χρῶνται. Rem pluribus infra explicabimus.

32) *Ed. Platner*, vir in his rebus longe sagacissimus, imponi sibi hoc nomine ab Aeschine passus est. Attisch. Process I, p. 314 sqq.

33) Hoc modo intelligendum Epicureum illud, ab Henr. Stephano laudatum in Thes. L. G., τὰ μέγιστα ὁ λογισμὸς διοικεῖ; quod Cicero explicat: maximae res consilio ipsius et ratione administrantur.

versa rei publicae administratione dicuntur et idem fere valent, quod illud pervulgatissimum *πρὸς τὴν πολιτείαν προσέρχεσθαι*. Sic cum de Areopago aliquo loco sermo est (Bekk. Anecdd. I, 444) dicitur de eo: *ἐδίκαζε δὲ τὰ φονικὰ καὶ τὰ ἄλλα πολιτικὰ διῴκει σεμνῶς*. Porro de Archontibus (Bekk. Anecdd. I, 450): *ἐπεσκόπουν δὲ αἱ τέσσαρες αὗται ἀρχαὶ καὶ κοινάς τινας διοικήσεις καὶ ἰδίας ἑκάστη*. Aliquando commodius etiam redditur constituo, ordino, v. c. *τὸν ἑαυτοῦ βίον διοικεῖν*; hoc modo apud Bekk. l. l. p. 283 ubi de proëdris, qui comitiorum consultationes moderabantur populumque in suffragia mittebant, Grammaticus disserit, ad hanc ipsam designandam rem vocabulo *διοικεῖν* utitur. [34]) Haec est, ut diximus, latissima vocis significatio, quacum conjungi potest *τὸ ἐπιτάττειν*, et non conjungi. Sed usurpatur etiam angustiori sensu, cujus duos potissimum explicabimus modos. Etenim cum salutaris reipublicae administrandae ratio eo maxime nitatur, ut reditus atque publicum aerarium bene curentur, voces *διοικεῖν* et *διοίκησις* eo praecipue modo usurpabantur, ut opum, redituum totiusque omnino rei pecuniariae civilem administrationem exprimerent, [35])

---

34) Eodem modo *Ulpianus* ad Demosth. adv. Mid. p. 542, 14 hanc vocem de arbitrorum officio litis dirimendae posuit: *ἐξιόντος δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ, πρῶτον ἀπὸ τῶν διαιτητῶν ἤρχοντο· μικρότερα γὰρ ἦν τὰ ὑπ᾽ αὐτῶν διοικούμενα*; sermo est de rationibus muneris gesti reddendis.

35) Aristot. Polit. VI, 5, p. 211: *Ἄλλη δ᾽ ἀρχὴ, πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται· παρ᾽ ὧν φυλαττόντων μερίζονται πρὸς ἑκάστην διοίκησιν· καλοῦσι δὲ ἀποδέκτας τούτους καὶ ταμίας.*

inter ἱερὰν καὶ ὁσίαν διοίκησιν distingueretur, [36]) ipsumque civitatis aerarium hoc nomine insigniretur[37]). Restat alter modus, quo minor et inferior administratio his vocibus declaratur, quae, auspiciis atque auctoritate potentiorum, administro alicui, procuratori aut dispensatori negotiorumque gestori obtigit. [38]) Quamquam igitur verbum διοικεῖν de unoquoque magistratu dici potest, cui aliqua reipublicae administrandae pars committitur, de iis tamen plerumque et proprio sensu usurpatur, qui, inferioris ordinis, minorem aliquam eamque imprimis pecuniariam acceperunt curam.

Devenimus ad vocem ἐπιμελεῖσθαι, cujus praecipua notio in cura atque diligentia posita est; unde fit, ut, cum de maxima etiam summorum magistratuum cura sermo sit, ad eam ipsam et universam reipublicae regendae rationem designandam verbum ἐπιμελεῖσθαι adhibeatur. [39]) Quum igitur ἀρχὴ sine

---

36) i. e. sacrum, et profanum sive civitatis aerarium. cf. Boeckh. l. l. I, 181.

37) Aeschin. adv. Ctesiph. c. 6. ibiq. Brem. p. 26. ed. prior.

38) Unde factum est, ut apud Romanos διοίκησις districtus diceretur sive portio quaedam provinciae, cujus administratio et jurisdictio Praetori committebatur. Sic Cicero praeter Ciliciam tres διοικήσεις habebat. v. Ernest. clav. Cicer. ind. græc. v. διοίκησις.

39) Etym. M. p. 362, v. ἐπιμελητὴς μυστηρίων· παρὰ Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος βασιλεὺς πρῶτον μὲν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν. Bekk. Anecdd. I, 264: Θεσμοθέται ἀρχή ἐστιν Ἀθήνησιν ἀνδρῶν ἕξ. καλοῦνται δὲ οὕτως, ὅτι τῶν νόμων τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο, θεσμὸν δὲ ἐκάλουν τὸν νόμον. Andocid. de Mysteriis p. 39. Rsk. 107 Bekk: καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γιγενημένων. δόξαντα δὲ ὑμῖν ταῦτα εἵλεσθε ἄνδρας

cura et diligentia bene geri non possit, saepissime ubi de summis magistratibus agitur, eorum *ἐπιμέλεια*, h. e. eorum munus memoratur. Sic enim omnino locus Aristotelis, supra prolatus, est explicandus; nam cum Philosophus, *εἰσὶ δὲ*, inquit, *αἱ μὲν πολιτικαὶ τῶν ἐπιμελειῶν ἢ πάντων τῶν πολιτικῶν πρός τινα πρᾶξιν, οἷον στρατηγὸς στρατευομένων· ἢ κατὰ μέρος κ. τ. λ.*, de *ἐπιμελείαις* ille latissimo vocis sensu, nullo *τῶν ἀρχῶν* habito respectu, loquitur, ut minime, quod interpretes quidem fecerunt,[40]) *ὁ στρατηγὸς* e verorum magistratuum censu eximendus esse videatur, neque Aristoteles Aeschini repugnet. Veram autem esse hanc vocis *ἐπιμελείας* interpretationem, ex iis clarissime patet, quae idem Philosophus, nulla habita ratione imperii i. e. *τοῦ ἐπιτάττειν* alio loco (Polit. VI, c. 5. p. 210 edit. Goettl.) de magistratibus tradidit, ita ut solam eorum *ἐπιμέλειαν* respiceret. Locus longior est, quam qui integer exscribatur; initium solummodo ejus et quasi conspectum dabo: *ἔστι δ᾽ ἀναγκαῖον ἐν μὲν ταῖς μικραῖς πόλεσιν ἐλάττους εἶναι τὰς ἀρχὰς, ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις πλείους· ποίας οὖν ἁρμόττει συνάγειν καὶ ποίας χωρίζειν, δεῖ μὴ λανθάνειν· πρῶτον μὲν οὖν ἐπιμέλεια τῶν ἀναγκαίων ἡ περὶ τὴν ἀγορὰν, — ἑτέρα δὲ ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων — ἄλλη δ᾽ ἀρχὴ, πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται — ἑτέρα δ᾽ ἀρχὴ, πρὸς ἣν ἀναγράφεσθαι δεῖ τά τε ἴδια συμβόλαια καὶ τὰς κρίσεις ἐκ τῶν δικαστη-*

εἴκοσι, τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν. τέως δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος νόμοις καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς.

40) v. c. Platner Att. Process. I, 315.

ρίων κ. τ. λ. Unaquaeque igitur *ἀρχὴ* complectitur *ἐπιμέλειαν*, neque vero *αἱ ἐπιμέλειαι* in universum ad *ἀρχῶν* honorem ascendunt. Hic enim alter isque angustior et verus *τῆς ἐπιμελείας* est sensus, quo ministerium sive curatio honorifica, cum imperio tamen non conjuncta, neque ultra consilium rem bene administrandi extendenda significatur. In hunc censum veniunt, ut uno alterove exemplo rem explicemus, *ἡ περὶ* sive *πρὸς* (cf. Schaefer Melett. critt. p. 103.) *τοὺς θεοὺς ἐπιμέλεια* apud Demosth. adv. Androt. p. 618; porro *οἱ τῶν μυστηρίων ἐπιμεληταὶ* et *ὁ εἰς Διονύσια χειροτονηθεὶς ἐπιμελητὴς* apud eundem adv. Mid. p. 470 et 519, quibus addas *τοὺς τῶν ἐλαιῶν ἐπιμελητὰς*, alias dictos *ἐπιγνώμονας*, apud Lysiam de ol. sacr. p. 284 et *τὴν τῶν ἐφήβων ἐπιμέλειαν* apud Dinarch. adv. Philocl. p. 189 Bekk.; item *οἱ τῶν νεωρίων ἐπιμεληταὶ* et *οἱ ἐν ταῖς συμμορίαις ἐπιμεληταὶ* apud. Demosth. adv. Everg. et Mnesib. p. 1145; denique *οἱ τῆς φυλῆς ἐπιμεληταὶ* apud eund. adv. Mid. p. 519, qui aperte *τοῖς ἄρχουσιν* opponuntur. [41])

Restat tertii vocabuli, i. e. *τοῦ ἄρχειν* et *τῆς ἀρχῆς* explicatio, post ea, quae de duobus prioribus commentati sumus, facillima. Uti enim voces *διοίκησις* et *ἐπιμέλεια*, proprio sensu positae, inferiorem solummodo curam, sed aliquando etiam latiore vocis usu omnem, maximam et gravissimam, administrationem summorum magistratuum designant, ita ex adversa re *ἡ ἀρχὴ*, qua splendidus magistratuum superiorum honor intelligitur, ad inferiores etiam de-

---

41) *κατηγοροῦντος τοῦ ἄρχοντος τῶν ἐπιμελητῶν τῆς φυλῆς, τῶν δὲ ἐπιμελητῶν τοῦ ἄρχοντος.*

signandas curationes et infima ministeria adhibetur. Vera igitur et potissima vocis *ἀρχῆς* notio, qua a ceteris, *διοικήσει* imprimis et *ἐπιμελείᾳ* distinguitur, est munus, ad quod gerendum non solum cura et diligentia (*ἡ ἐπιμέλεια*) requiritur, sed imperium etiam (*τὸ ἐπιτάττειν*) conceditur. Sed latius patebat verbi vis, ut, qui solam curationem aliquam sustinerent, i. e. *οἱ ἐπιμεληταὶ*, et ipsi *ἄρχοντες* vocarentur; cujus rei veritatem, quamvis a nemine in dubium vocetur, paucis demonstrabimus exemplis. Sic v. c. metronomi, qui erant a mensuris et ponderibus invisendis et observandis, quamquam solam harum rerum curam habebant, passim apud veteres nominantur *ἀρχή*. [42]) Eadem res in iis curatoribus est, qui *σιτοφύλακες* nominantur, his ipsis, quos modo commemoravimus, inferiores, et *τοῖς ἀγορανόμοις* quasi in supplementum additi. [43]) Denique *οἱ ζητηταὶ*, qui in aerarios latentes inquirebant eorumque nomina

---

42) Bekk. Anecdd. I, 278. *μετρονόμοι. αρχή τις Ἀθήνησιν κληρωτὴ ἡ τῶν μετρονόμων, δέκα τὸν ἀριθμὸν, ὧν πέντε μὲν ἦσαν ἐν τῷ Πειραιεῖ, πέντε δὲ ἐν ἄστει· οὗτοι δὲ την ἐπιμέλειαν εἶχον, ὅπως δίκαια ἦ τὰ μέτρα τῶν πωλούντων;* consentiente Harpocratione, qui Aristotelis auctoritate nititur. cf. Neumann reliqq. Arist. de Rebuspp. p. 86.

43) Lysias accus. Dardann. p. 235. ed. Brem. *οὕτω δὲ πάλαι περὶ τῆς τούτων πανουργίας ἡ πόλις ἔγνωκεν, ὥστ᾽ ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις ὠνίοις ἅπασι τοὺς ἀγορανόμους φύλακας κατεστήσατε, ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ τῇ τέχνῃ χωρὶς σιτοφύλακας ἀποκληροῦτε.* Idem p. 231. *ἀπόκριναι δή μοι, εἰ ὁμολογεῖς πλείω σῖτον συμπρίασθαι πεντήκοντα φορμῶν, ὧν ὁ νόμος ἐξεῖναι κελεύει· ἐγὼ τῶν ἀρχόντων κελευόντων συνεπριάμην;* ubi v. Bremi. Adde Bekk. Anecdd. I, p. 300. *οὗτοι δ᾽ ἐπεμελοῦντο, ὅπως ὁ σῖτος δικαίως πραθήσεται, καὶ τὰ ἄλφιτα καὶ οἱ ἄρτοι κατὰ τὰς ὡρισμένας τιμὰς καὶ τὸν σταθμόν.* Cf. Neumann. l. l. p. 95.

ad populum deferebant, quorumque munus a Jul. Polluce VIII, 115 expresse *διακονία* adpellatur, saepissime *ἄρχοντες* audiunt. [44]) Non solum autem *τοῖς ἐπιμεληταῖς* hoc insigne *τῆς ἀρχῆς* nomen concedebatur, sed ne infimis quidem administris invidebatur, ut idem vocabulum de negotiis publicis cujuscunque generis, v. c. legum conscribendarum, quae quidem *γραμματέως* opera alias *ὑπηρεσία* nominatur, usurpetur. [45]) Quid? Quod omnes in universum cives Athenienses, quatenus judicii et comitiorum jure fruuntur, Aristophani [46]) in magistratuum numero recensentur; quamquam nimis poëtae contribuere videremur, nisi Aristoteles [47]) ei assentiretur.

Posteaquam hunc disputationis de vocibus *ἄρχειν* praecipue et *ἐπιμελεῖσθαι* cursum confecimus, non abs re erit, brevius rem repetere et in uno quasi

---

44) v. Hudtwalck. d. Diaet. p. 58, not. 55.

45) v. F. A. Wolf. ad Demosth. Lept. p. 384. Hudtw. l. l. p. 32. Hinc factum est ut oratt. græci aliquoties vocabulo *ἀρχιδίον* utantur, cf. Demosth. pro Coron. p. 314, Rsk., ubi Schaeferus in Apparat. Crit. T. II, p. 341 lectionem *ἀρχείοις* nescio qua ratione praeferre videtur.

46) Vesp. v. 585.:
καὶ ταῦτ' ἀνυπεύθυνοι δρῶμεν, τῶν δ' ἄλλων οὐδεμί' ἀρχή.
Recte. Ipsi enim arbitri *ὑπεύθυνοι* erant. cf. Hudtw. l. l. p. 19.

47) *Τῶν δ' ἀρχῶν αἱ μέν εἰσι διῃρημέναι κατὰ χρόνον, ὥστ' ἐνίας μὲν ὅλως δὶς τὸν αὐτὸν οὐκ ἔξεστιν ἄρχειν, ἢ διά τινων ὡρισμένων χρόνων· ὁ δ' ἀόριστος, οἷον ὁ δικαστὴς καὶ ὁ ἐκκλησιαστής· τάχα μὲν οὖν ἂν ἀντιφαίη τις, οὐδ' ἄρχοντας εἶναι τοὺς τοιούτους, οὐδὲ μετέχειν διὰ ταῦτ' ἀρχῆς. καί τοι γελοῖον τοὺς κυριωτάτους ἀποστερεῖν ἀρχῆς· ἀλλὰ διαφερέτω μηδέν· περὶ ὀνόματος γὰρ ὁ λόγος· ἀνώνυμον γὰρ τὸ κοινὸν ἐπὶ δικαστοῦ καὶ ἐκκλησιαστοῦ, τί δεῖ ταῦτ' ἄμφω καλεῖν· ἔστω δὴ διορισμοῦ χάριν ἀόριστος ἀρχή· τίθεμεν δὴ πολίτας τοὺς οὕτω μετέχοντας.*

conspectu ponere. Ἀρχαὶ igitur magistratus ii potissimum censendi sunt, quibus tributum est, ut non solum administrent et curam gerant alicujus rei, sed ut de rebus consulant etiam, judicent et imperent. Ἐπιμέλεια pro ratione vocabuli est munus, quod curam et diligentiam postulat, minus cum imperio conjunctum; ii igitur omnes, qui, cum neque consulant, [48]) neque judicent, neque imperent, in fungendo reipublicae munere quocunque aliorum quidem imperio obediunt, sed quod a republica mandatum atque injunctum est, suo judicio atque arbitratu, prout ipsis optime fieri posse videtur, perficiunt, ita ut superioribus magistratibus et populo rationes reddere cogantur, hi igitur omnes neque magistratus neque ministri, sed curatores appellandi sunt. [49]) Quamquam ἀρχὴ sine cura et diligentia bene administrari non potest, honoratur tamen imperio; ἐπιμέλεια autem quamvis nec ipsa omnino imperio careat, id tamen non ultra consilium rem bene gerendi et administrandi extenditur. Idem fere discrimen obtinet apud Latinos, observante Orellio (ad Aeschin. l. l.), inter honorem (ἀρχὴν) et munus (ἐπιμέλειαν). [50])

---

49) *Consilium* aliquando in eos cadere potest, et *judicandi* potestas iis extra ordinem tradi; de qua re infra pluribus.

48) v. Brem. ad Aechin. adv. Ctesiph. p. 286. Schömann. de comitt. Athss. p. 308; quocum non omnino consentio.

50) Utroque genere inferior est ἡ διακονία, quae eadum ὑπηρεσία dicitur et laborem solummodo habet atque moletiam, quin ullus concedatur honor. v. Bremi. l. l.

III.

EXPLICANTUR DICTIONES, QUÆ AD MODERAMEN JUDICIORUM PERTINENT.

Duplex judiciorum Athenis genus fuit, alterum eorum, quae ad parricidas vel investigandos vel puniendos pertinerent, alterum vero quod in reliquis causis publicis ac privatis cognoscendis versaretur. [51])

Ante Solonem quidem Archontes ipsi jus dixerant ita, ut causas ad aliud judicium nullum rejicerent; Solon vero iis reliquit tantum jus, litigantes examinandi [52]) omnemque rem judiciariam eo modo constituit, ut ad omnia judicia, iis exceptis, quae *φονικὰ* dicebantur, omnibus civibus Atticis, nullo census et ordinum discrimine, aditus concederetur, ita quidem ut ex universo civium numero, qui non minores tringinta annorum et fama seu statu integri (*ἐπίτιμοι*) essent, judices sorte caperentur. [53]) Areopagitarum, i. e. eorum, qui *τὰ φονικὰ* judicabant, consessus subdialis [54]) erat, ceteri autem, proprio nomine *δικασταὶ* adpellati, sedebant in aedi-

51) v. Matthiae de judiciis Athss. p. 141 sq.
52) v. idem p. 242 sq.
53) v. Schömann. de sortitione judicum p. 2.
54) Antiphon de caed. Herod. p. 709. laudante Matthiaeo l. l. p. 162.

ficiis, huic rei destinatis, quae *δικαστήρια* nominantur. Licet igitur vox *δικαστήριον* non solum aedificium et locum judicii designet, sed judicum etiam decuriam, [55]) tamen omnes fere dictionis modi, qui ad cognoscendas in judiciis res, imprimis vero ad cognitionis initium pertinent, ex priore illa ortae sunt *δικαστηρίου* significatione, qua aedificium intelligitur. Quare cum ei, qui accusare quempiam in animo habebat, adeundum esset ad eum Archonta, ad quem causa illa proxime pertineret, [56]) hic autem examinata in antecessum et cognita re facultatem judicii legitimi concederet, actionem rei daret, lege agi juberet, judicium ipsum constitueret eique praeesset (haec enim omnia *τὴν τοῦ δικαστηρίου ἡγεμονίαν* conficiunt, i. e. moderamen judiciorum), ex toto hoc munere ille magistratus *καλεῖν* et *εἰσάγειν τοὺς ἀμφισβητοῦντας, ἀντιδίκους, τὴν δίκην* et *γραφὴν εἰς τὸ δικαστήριον* dicebatur; de litigantibus autem aeque ac de lite ipsa *εἰσάγεσθαι εἰς τὸ δικαστήριον, εἰσέρχεσθαι* et *εἰσιέναι τὸ δικαστήριον* et *εἰς τὸ δικ.* in usu sunt; [57]) ii

---

55) Schömann de sortit. judd. p. 24.

56) Matthiae de judd. Athss. p. 256.

57) Budaeus commentt. L. G. p. 110. Dorvill. ad Charit. p. 478. F. A. Wolf. ad Leptin. p. 369. Meier et Schöm. Att. Process. p. 30, n. 12. 706, n. 7. In regimine verborum *εἰσιέναι* et *εἰσέρχεσθαι* praepositionem *εἰς* addi posse et omitti, ut dicatur *εἰσέρχεσθαι εἰς τὸ δικ.* et *εἰσέρχ. τὸ δικαστήριον* recte monuit Bastius ad. Gregor. Cor. p. 46; cf. Brem. ad. Lysiam p. 22. — Ceterum de praeside et moderatore (*ἡγεμόνι*) judiciorum etiam verbum *πρυτανεύειν* usurpari contra Hudtwalck. p. 20 et 23, n. 22, feliciter, ut arbitror, probatum ivit Meier. de bonis damnatt. p. 129, n. 433.

porro qui in arbitrorum v. c. sententia non acquiescentes ad legitimum provocant judicium, *ἐπιέναι εἰς δικαστήριον*, [58]) et qui sive absoluti sive condemnati judicio decedunt, *ἐξέρχεσθαι* et *ἀπέρχεσθαι* dicuntur· [59]) Quam quidem rationem explicandi hunc loquendi usum unice veram esse, inde primum elucescit, quod Undecimviri (*οἱ ἕνδεκα*), si quem obtorto collo trahunt (*ἀπάγουσιν*) et in ipsum carcerem ac vincula conjiciunt, *εἰσάγειν αὐτὸν εἰς δεσμωτήριον*, [60]) tragoedi tragoedias et demarchus proëdria condecoratos [61]) *εἰσάγειν εἰς θέατρον*, parentes autem, qui liberos publice agnoscunt, *εἰς φράτορας εἰσάγειν αὐτοὺς* dicuntur, quandoquidem haec res coram tribulibus (*τοῖς φράτορσιν*) in sacello congregatis et sacro Jovi Phratrio faciundo peragebatur. [62]) Accedit quod qui propter aequam justam-

---

58) Pollux Onom. VIII, 127. quamquam etiam *ἐπὶ δικαστήριον ἐφιέναι* dicatur.

59) Demosth. 744, 8. 773, 21. 1348, 22. Meier de bonis damnatt. p. 22. n.

60) Pollux Onom. VIII, 71. Nescio num recte Reiskius huc traxerit locum Demosth. aliter ab Hier. Wolfio explicatum, adv. Aristog. p. 781 : *ἔξωθεν κύκλῳ περίεισι λοιδορούμενος καὶ διαβάλλων καὶ ὑπισχνούμενος κρινεῖν, εἰσάξειν, παραδώσειν.* Schaeferus a Reiskii partibus stare videtur. *εἰσάγειν* et *παραδοῦναι* conjunguntur etiam alias; v. c. apud Antiphont. p. 80 Bekk.

61) Meier de bonis damntt. p. 205. n.

62) Platner, Beiträge z. K. d. A. R. p. 145. Huc pari jure pertinet dictio *εἰσάγειν εἰς τὰ ἱερά*, quae saepissime occurrit; v. c. apud Isaeum de Astyphil. haered. p. 248, *εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ἦγε μεθ᾽ ἑαυτοῦ;* porro *εἰσάγειν εἰς τοὺς κήρυκας*; Andocid. de Mysterr. p. 63 Bekk.

que et tranquillam vitae rationem dicasteriis ne ex longinquo quidem appropinquant, *οὐδέποτε ἐπὶ τὰ δικαστήρια ἐλθεῖν* dicuntur; [63]) porro qui ad populum, in comitiis sub dio convocatum, accedere dicuntur, ut qualicunque de causa cum eo agant, *πρὸς τὸν δῆμον προσέρχονται*, [64]) item qui singulos magistratus sive arbitros adeunt, *πρὸς αὐτοὺς ἀπαντᾶν, ἀπογράφεσθαι* etc. perhibentur; [65]) denique vero

---

63) Isaeus de haered. Cleonymi p. 8: *ὥστ' οὐδὲ ἀκροασάμενοι οὐδέποτε ἤλθομεν ἐπὶ δικαστήριον.* Aesch. adv. Timarch. p. 306 Bekk. 119. Brem. *ψέγων τὴν εἰρήνην τὴν δι' ἐμοῦ καὶ Φιλοκράτους γεγενημένην, ὥστ' οὐδὲ ἀπαντήσεσθαί με ἐπὶ τὸ δικαστήριον*; idem p. 288: *ὁρῶ δὲ πολλοὺς μὲν τῶν νεωτέρων προσεστηκότας πρὸς τῷ δικαστηρίῳ — ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν.* Vide an huc trahi possit locus Demosth. adv. Phorm. initio, a consueta dicendi ratione nimis abhorrens: *καὶ πολὺν χρόνον εἰς τὸ ὑμέτερον ἐμπόριον εἰσαφικνούμενοι — οὐδεμίαν πώποτε δίκην πρὸς ὑμᾶς εἰσήλθομεν.*

64) Aeschin. adv. Ctesiph. p. 458 Bekk.: *ἐπιτιμᾷς δέ μοι, εἰ μὴ συνεχῶς ἀλλὰ διαλείπων πρὸς τὸν δῆμον προςέρχομαι·* adv. Timarch. p. 276: *τῆς βουλῆς, τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, πρόσοδον ποιουμένης πρὸς τὸν δῆμον.* Dinarch. adv. Demosth. p. 173 Bekk. *τὴν εἰσαγγελίαν ἀναιρούμενος, ἐν δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ προσάγων* (sq. *πρὸς τὸν δῆμον*). Lysias adv. Andocid. p. 227: *ἵνα αὐτὸν προσαγάγοιεν ἐνθάδε* (sc. ad populum). Sic legati *προσάγεσθαι πρὸς τὸν δῆμον* passim dicuntur; v. c. apud Demosth. pro Cor. p. 234. Hinc derivandae atque explicandae sunt procul dubio dictiones *προςέρχεσθαι πρὸς τὰ κοινὰ* reliqq.; neque omittendum est, bene differre a dictione *προσέρχεσθαι πρὸς τὰ πράγματα* illam apud Dinarchum (adv. Demosth. p. 155 Bekk.) *εἰς τὰ πράγματα εἰςέρχεσθαι*, quae significat, immiscere se rebus, itemque apud Antiphontem (de saltat. p. 75 ed. Bekk.) *ἔρχεσθαι ἐπὶ τὰ πράγματα*, quod est: contentionem suscipere.

65) Pervulgatissima sunt *πρὸς τοὺς ἄρχοντας, θεσμοθέτας, τὸν γραμματέα προσιέναι, προσάγειν, ἀπογράφεσθαι, καλεῖν* etc.

5

ii, qui vel ultro ob suam ipsorum rem vel vocati etiam publica auctoritate ad Senatus quingentorum cancellos procedunt, *πρὸς τὴν βουλὴν* et *τὸ βουλευτήριον προσέρχονται*; [66]) Senatores autem ipsi *εἰς τὴν βουλὴν* et *βουλευτήριον εἰσέρχεσθαι* dicuntur. [67])

Igitur ii magistratus, qui judicio, in quod causam introduxerant sive induxerant, [68]) praeessent, ab *εἰσάγειν* dicebantur *εἰσαγωγεῖς*. Patebat tamen latius haec verbi *εἰσάγειν* potestas atque sensus; ut non solum *οἱ εἰσαγωγεῖς*, [69]) sed judices etiam ipseque

---

neque est quod rem exemplis explicemus. Quod ad arbitros attinet, uno Isocratis loco rem confirmabo, qui est de perm. rer. p. 552 ed. Lng. ubi orator apparuisse se negat *οὔτε ἐν τοῖς συνεδρίοις, οὔτε περὶ τὰς κρίσεις, οὔτε ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις, οὔτε πρὸς τοὺς διαιτητάς*. Ceterum apud Demosth. adv. Aphob. III, 862 legitur *ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν κληρωτὸν διαιτητὴν*, quod alias etiam occurrit. cf. Demosth. adv. Mid. p. 544.

66) Andocid. de Mysterr. p. 116 Bekk. *προσήει ὁ βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετήν, ὥσπερ ἔθος ἐστίν* (sc. *πρὸς τοὺς πρυτάνεις*), *οἱ δὲ πρυτάνεις προσάξειν ἔφασαν αὐτὸν πρὸς τὴν βουλὴν κ. τ. λ.* Aeschin. de fals. leg. p. 333: *τὰς πρὸς τὴν βουλὴν αὐτῶν προσόδους καὶ τὰ ψηφίσματα ἂν παρασχῇ.*

67) Lysias adv. Dardann. p. 712: *ἐπειδὴ γὰρ οἱ πρυτάνεις ἐπέδοσαν εἰς τὴν βουλὴν περὶ αὐτῶν.* Antiphon de saltat. p. 82 Bekk: *ὅτι πρυτανεύων πυθόμενος αὐτοὺς δεινὰ καὶ σχέτλια ἐργάζεσθαι εἰσῆγον εἰς τὴν βουλὴν κ. τ. λ.* Ceterum non ignoro, hunc dicendi usum sibi non omnino constare; quod quidem exemplis demonstrare nunc supersedeo.

68) Adhiberi apud Latinos verbum inducere ad designandum hoc forense officium nemo negabit. v. Plinii epistoll. II, 12. III, 4.

69) Etiam de veris *εἰσαγωγέσι* haec vox vario modo usurpatur;

actor [70]) rem reumque εἰσάγειν dicerenter. Quid? Quod verbum εἰσάγειν non solum de illis dicitur, qui rem causamque in judicium inducunt, sed de iis etiam usurpatur, qui, judicia non moderantes, primi tamen criminis cujusdam inquisitionem adgrediuntur, rei nomen deferunt, remque omnem adcurate perquirendam censent, atque legitima juris ratione discutiendam populo senatuique proponunt et commendant; [71]) ut Undecimviri [72]) etiam, qui bona damnatorum denunciant, εἰσάγειν τὰ χωρία etc. dicantur.

Sed subsistat jam nobis haec de dictionibus moderaminis judiciorum prolusio, quum angustis nostrae scriptionis limitibus pressi ab explicanda largissima

---

v. c. ii magistratus, qui ante rem in judicio dignoscendam judices de admittenda seu rejicienda re in sententias mittunt, πρῶτον περὶ τούτου εἰσάγειν dicuntur. cf. Platner. Att. Process. I, p. 171.

70) cf. Meier et Schöm. l. l. p. 30 et 706. Demosth. adv. Mid. p. 526. Platner l. l. I, p. 130. Apostol. Proverb. Centur. 19, 50: οἱ δίκῃ νικήσαντες ἀνέτρεχον εἰς δικαστήριον καὶ εἰσῆγον δίκην.

71) Haec res v. c. in Logistis obtinebat, qui in id solum inquirentes, num quis magistratus propter munus male gestum rationum reddendarum causa in legitimum judicium deduci debeat, ob id ipsum εἰσάγειν dicuntur. v. Platner l. l. I, p. 364 sq. Hoc modo ab Antiphonte usurpatur vox εἰσάγειν loco supra laudato p. 82 Bekk: εἰσῆγον αὐτοὺς εἰς τὴν βουλήν, καὶ ἐδίδαξα ὡς χρὴ ζητοῦντας ἐπεξελθεῖν τῷ πράγματι.

72) cf. Platner II, 120 sq. Etymol. M. 338: εἰσῆγον δὲ καὶ τὰ ἀπογραφόμενα χωρία, οἰκίας, καὶ τὰ δημόσια εἶναι δόξαντα παρεδίδουν τοῖς πωληταῖς; quod muneris aliquando etiam Demarchis obtingebat. Meier de bonis damnatt. p. 204.

materia revocemur. [73]) Illud unum, quod vel maxime est ex re nostra quodque potissimum eramus probaturi, evicisse nobis videmur, vocem *εἰσάγειν* non solum de veris litium introductoribus in usu fuisse, sed de iis etiam, praecipue curatoribus, qui secundo positi loco in praeparandis, incipiendis et ordinandis judiciis inferiorem operam navarent et ex verorum *εἰσαγωγέων* voluntate et imperio quasi haererent.

IV.

DISSERITUR PRESSIUS DE CURATORIBUS EMPORII ET NAUTODICIS.

Multae apud Athenienses res et sacrae et profanae civilem curationem desiderabant. Erant igitur Athenis curatores quidam festorum, qui a populo creabantur, velut *οἱ ἐπιμεληταὶ τῶν μυστηρίων* et *τῶν Διονυσίων*, [74]) paeterea *οἱ τῶν φυλῶν ἐπιμεληταί*, a tribubus ipsis creati, quorum curatio ad solennia illa munera ludosque pertinebat musicos, gymnicos, scenicos et saltatorios, quos certis quibusdam festis, Dionysiis, Panathenaeis, Thargeliis, aliisque a tribubus edi moris erat; quorumque praecipuum officium, teste Suida v. *ἐπιμεληταί*, eo continebatur, ut viderent, ne chori in theatro

73) Exposuimus consuetam solummodo in his rebus dicendi normam, omissis iis, quae cum vera communis usus ratione minus congruunt.

74) Schömann. de comitt. Athss. p. 321 Boeckh. l. l. I, 231.

immodeste et petulanter se gererent. [75]) His adgregantur οἱ τῶν μοριῶν ἐπιμεληταὶ, sive ἐπιγνώμονες, ex Areopagitis electi, qui olearum sacrarum praefecturam agebant fructusque inde provenientes locabant. [76]) Inter eos autem, quorum cura profanis potissimum rebus addicta erat, memorantur saepissime οἱ τῶν δήμων ἐπιμεληταὶ, alias δήμαρχοι dicti, qui populares suos (τοὺς δημοτὰς) invitabant ad διαψηφίσεις, easque moderabantur; [77]) omnia, quae pago communia erant, administrabant, agros, domus aliaque praedia pagi locabant, saltem locationi praeerant; a redemtoribus pretium locationis et conductionis, vectigalia item et tributa tam a popularibus, quam ἐγκτητικὸν ab iis, qui non populares erant, exigebant; tamquam exactores denique publici a debitoribus obaeratis pignora auferre et creditores in obaeratorum domus ad auferenda pignora ducere solebant; et quae sunt reliqua. [78]) Navalibus qui praeerant, ἐπιμεληταὶ τῶν νεωρίων dicebantur, ordinarii et ipsi haud dubie magistratus, qui locos, per quos deducerentur triremes, purgabant, et triremium ipsarum publica cujusque armamenta curabant. [79]) Denique bis in inscriptionibus [80]) occurrit ὁ ἐν Πειραιεῖ ἐπιμελητὴς, cujus erat munus, ut veras rerum venalium mensuras et pondera observaret et conservaret.

---

75) Schömann. l. l. p. 369 sq. Antiquitus φύλαρχοι nominati esse videntur. cf. Meier de bonn. damnatt. p. 204, n. 154.

76) Boeckh. l. l. I, 827.

77) Meier. l. l. p. 80 sq.

78) Id. ibid. p. 204 sq. n. 154.

79) Sigon de Rep. Ath. IV, c. 3. Demosth. adv. Everg. 1145. adv. Androt, 612, ibq. Ulpian.

80) Apud Boeckh. II, 352 sq.

His omnibus adgregantur *οἱ τοῦ ἐμπορίου ἐπιμεληταὶ*, quorum curatio ipso nomine atque appellatione clarissime explicari videtur; ut in ipso hujus nostrae disquisitionis primordio, iis nitentes, quae de *ἀρχαῖς* et *ἐπιμελείαις* capite II. exposuimus, Schömanno, V. D., obloqui cogamur, qui [81]) in Atheniensium vita communi ejusmodi vocabulorum distinctionem plane inusitatam fuisse, et qui apud illos vocentur *ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου*, pro magistratibus potius quam curatoribus habendos esse, nullo tamen sententiae argumento prolato, contendit. Nos nostram sententiam adcurate describendis ipsis eorum negotiis confirmare studebimus.

Etenim quamvis Atheniensium respublica consummatissimae libertatis insigne exhiberet exemplar, summa tamen apud eos extabat mercaturae impeditio; tantumque abfuit, ut iis, qui Emporio Atheniensi uterentur, optima negociandi libertas concederetur, ut gravissimis rigidissimisque legibus adstringerentur et coërcerentur. Multae erant res, quas in aliarum regionum emporia nemini Athenis neque civi neque peregrino exportare ullo liceret tempore aut modo; in his materia aedificiis struendis et ligna navibus fabricandis omniaque ad classes ornandas necessaria, cera, pix cum rudentibus, utres; prae ceteris autem frumentum. [82]) Quod ad ligna navibus fabricandis attinet, ratio interdicti erat, ut haberent ipsi unde naves omnis generis aedificarent et texerent, hostibus vero ne subministrarentur eae res, quibus

81) De comitt. Athss. p. 309.

82) Boeckh. I, 58. Aliae praeterea res variis reipublicae temporibus ne importari quidem poterant.

Athenienses ipsos imperio suo submitterent; accedit quod *τῆς ναυπηγησίμου ὕλης*, ut sunt abies, pinus, picea, cupressus, platanus, non ita larga in Atheniensium terra erat copia. [83]) Eadem res in frumento erat ceterisque proventibus terrae Atticae exportari vetitis, ut qui vix ac ne vix quidem essent satis agricolis. [84]) Unde qui has res aliunde sumptas deferrent Athenas, magni aestimabantur, immunitate belli et *τῶν εἰσφορῶν* donabantur [85]) contraque malivolorum hominum injurias benigne et severe defendebantur. [86]) Contra qui legibus mercatoriis non obedivissent, ii gravissimas sustinebant poenas. Nemini enim, suarum rerum domino, sive erat civis sive inquilinus, mercatori mutuam pecuniam nauticam dare permittebatur, cujus navis frumentum aliasque legibus adcurate designatas res in terram peregrinam neque Athenas importaret; [87]) qui secus fecisset, adversus eum *φάσις* scribebatur, et pecunia, quam mutuam dederat, describebatur, ut in aerarium publicum inferretur, [88]) quod fieri solebat etiam ad-

---

83) Petit. Legg. Att. edit. Paris. a. 1635. p. 422.

84) Idem p. 417.

85) Schol. Aristoph. Plut. v. 905: *τινὲς τῶν πολιτῶν, ἡνίκα χρημάτων ἦν εἰσφορὰ πρὸς τὴν πόλιν, τὴν ἐμπορίαν ἐπροφασίζοντο, τὴν εἰσφορὰν βουλόμενοι φυγεῖν· ἀζήμιοι γὰρ οὗτοι διεφυλάττοντο, ὥς φησιν Εὐφρόνιος, ὡς τὴν πόλιν ὠφελοῦντες πλεῖστα διὰ τῆς αὐτῶν ἐμπορίας.* Haec omnino refellere studuit Boeckh. I, 93.

86) v. c. qui nauclerum et mercatorem injuria accusavisset, in eum graviter animadvertebatur. v. Petit. l. l. p. 419.

87) Hujus rei veritati non obstare *ναῦν ἑτερόπλουν* clare docuit Boeckh. I, 62.

88) Poterat creditor capite etiam damnari. Boeckh. I, 63.

versus illos, mercatores dico ipsos atque naucleros, qui frumentum alio quam Athenas adveherent; nam lege cogebantur Athenienses naucleri atque mercatores frumentum non alio quam Athenas importare;[89]) neque ulla competebat actio creditori adversus debitorem de exsolvendo debito.[90]) Ut obviam iretur Dardanariorum[91]) avaritiae, lege cautum erat, ne coëmerent, qui in urbe erant, frumenti plus quinquaginta phormis; qui aliter fecissent, morte multabantur. Denique de iis tantum contractibus mercatoriis coram judicibus agi licebat, qui vel Athenas aliunde, vel Athenis alio referebantur, et tabulis erant constituti et confirmati; qui secus facerent, ii nullo modo socios eo adigere poterant, ut starent conventis.[92])

Non minima redituum civitatis Atheniensium pars vectigalia erant, inque iis praecipue portorium, ex importandis et exportandis mercibus solvendum. Quae quidem res cum navibus fere Athenas deveherentur, factum est, ut prae ceteris portorium Emporii a veteribus memoretur, quod quinquagesima pretii parte (*τῇ πεντηκοστῇ*) constabat, et non modo de importandis mercibus (quarum erat maxima copia), cum ad mercatum in Emporio exponerentur,

---

89) Petit l. l. p. 417; qui secus faciunt, nominantur *οἱ περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργοῦντες*; Pollux On. VIII, 48, ibiq. Kuhn.

90) Petit. p. 415 sq.

91) Ita nominabantur mercatores frumentarii, homines plerumque ex ordine *τῶν μετοίκων*, qui annonam studebant vexare pretiumque in suam utilitatem adaugere. Bremi ad Lys. p. 228.

92) Petit. p. 422.

sed de exportandis etiam, antequam oneraretur navis, exigebatur. [93]) Qui infimam hujus vectigalis curam gerebant omnesque merces in album inscribebant, *πεντηκοστολόγοι* [94]) nominabantur, diversi ab iis, quibus *ἐλλιμενιστῶν* nomen erat, et munus, in codices referre rationes *τοῦ ἐλλιμενίου*, i. e. ejus vectigalis, quod iis erat solvendum, qui naves solummodo in portum deducerent neque vero merces exportarent. [95])

Harum igitur omnium rerum, quatenus in Emporio agerentur eoque plus minusve referrentur, summam curam atque praefecturam Curatores Emporii gessisse, quamvis satis luculenta veterum testimonia deficiant, re ipsa et eorum appellatione clare elucescit; frumentariam autem praecipue rem eorum curae fuisse traditam, in quo oratores et grammatici consentiunt, pari modo re ipsa clarissime explicatur. Quamquam enim mercatores Athenienses multis ex regionibus, praecipue autem ex Ponto, i. e. e tota ora maritima Ponti Euxini, maxime occasum versus Graecorum et Milesiorum coloniis frequentata multisque emporiis celebri, et e Chersoneso, quae vocabatur Taurica, permulta exportabant, in his *τάριχος*, quod ipsum erat varii generis, tum ceras, mella, lanas, coria, pelles caprinas et alia, ligna navibus fabricandis, mancipia etc., quas illi res permutabant vinis in Co, Mendae et alibi coëmtis, aut rebus et utensilibus ex fabricis et officinis Athenarum, maximi tamen momenti frumentaria mercatura erat; quandoquidem hujus rei, qua potissimum Athenien-

93) Boeckh. I, 336 sq.

94) Id. I, 343.

95) Id. I, 343.

sium agrum sterilem fuisse constat, maximum in istis regionibus, ut est hodieque, antiquitus fuisse proventum ex plurimis veterum locis apparet. [96]) Egebant autem Athenae frumento importaticio in eum modum, ut non solum ex iis quas nominavimus regionibus, sed ex universa etiam Thracia, Syria, Aegypto, Libya et Sicilia frumentum Athenas adveheretur. [97]) Illius igitur frumenti, quod Athenas importabatur, duos trientes in urbem ipsam, trientem vero, qui supererat, in Piraeeum ad divendendum in alias inde regiones [98]) importare lege jubebantur mercatores. [99]) Harpocratio: *ἐπιμεληταὶ ἐμπορίου· Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πυθέου· Ἀριστοτέλης· ἐμπορίου δὲ ἐπιμελητὰς δέκα κληροῦσιν, τούτοις δὲ προστέτακται τῶν τε ἐμπορίων ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τοῦ σίτου τοῦ καταπλέοντος εἰς τὸ Ἀττικὸν ἐμπόριον τὰ δύο μέρη τοὺς ἐμπόρους ἀναγκάζειν εἰς τὸ ἄστυ κομίζειν.* [100]) Potissimam igitur

---

96) V. Fr. A. Wolf. ad Demosth. adv. Lept. p. 252.

97) Demost. pro Cor. p. 254: *ὁρῶν δ᾽ ὅτι σίτῳ πάντων ἀνθρώπων πλείστῳ χρώμεθ᾽ ἐπεισάκτῳ κ. τ. λ.* Hujus rei adcuratas rationes reddere et calculum subducere doctissime studuit Boeckh. I, 84, sq. qui tamen Atticam non ita sterilem fuisse frumento conjicit.

98) Boeckh. I, 86.

99) Petit l. l. p. 419.

100) Bekk. Anedd. I, 255: *ἐπιμεληταὶ· ἐμπορίου ἄρχοντες ἦσαν κληρωτοὶ, δέκα τὸν ἀριθμὸν, ἑκάστου ἔτους καθιστάμενοι, οἷς προσετέτακτο τῶν ἐμπορίων ἐπιμελεῖσθαι καὶ τοῦ σίτου τοῦ καταπλέοντος εἰς τὸ ἐμπόριον τὸ ἀστικὸν τὰ δύο μέρη τοὺς ἐμπόρους ἀναγκάζειν . . .* Supra jam p. 14, n. 14, adnotavimus, Boeckhio suspectam esse notitiam Grammatici inter *ἀστικὸν* et *ξενικὸν ἐμπόριον* distinguentis; quare scribendum censuit nostro loco *τὸ Ἀττικὸν* pro *τὸ ἀστικόν*, consentiente Neumanno l. l. p. 77. (cf.

Emporii ejusque rerum gravissimarum maximam curam gerebant qui nominantur ejus curatores. Quod quidem Emporium cum esset, ut supra demonstravimus, locus Piraeei maxime frequentatus, plures autem alii curatores in Piraeeo ejusque rebus administrandis versarentur, [101]) non abs re erit, horum omnium rationem, qua inter se conjungerentur et disjungerentur, hic paucis exponere.

Diximus supra p. 12, inter Athenarum portus Piraeeum eo usque fuisse auctum, perfectum atque celebratum, ut nova paene videretur esse urbs, saltem magna Athenarum esset pars, quod insigniter confirmat locus Andocid. de mysterr. p. 89. Bekk: *ἡ βουλὴ ἀνακαλέσαντες τοὺς στρατηγοὺς ἀνειπεῖν ἐκέλευσαν Ἀθηναίων τοὺς μὲν ἐν ἄστει οἰκοῦντας ἰέναι εἰς τὴν ἀγορὰν τὰ ὅπλα λαβόντας, τοὺς δ' ἐν μακρῷ τείχει εἰς τὸ Θησεῖον, τοὺς δ' ἐν Πειραιεῖ εἰς τὴν Ἱπποδαμίαν ἀγοράν*; ubi tres Athenarum partes, Urbs ipsa, Piraeeus et utriusque intervallum atque junctura (*τὰ μακρὰ τείχη*) distincte me-

---

Boeckh. I, 89 et 336.) Sed dicas mihi tandem, quaeso, cur non solum Harpocratio et Grammaticus Bekk. sed Suidas etiam (T. I, p. 820) et Photius (p. 362) summo consensu plurali utantur numero: *προσετέτακτο τῶν ἐμπορίων ἐπιμελεῖσθαι*; denique vero si non unum sed duo minime Athenis erant emporia, de quo non potest dubitari, nonne utrumque erat *Ἀττικόν*? Cuinam igitur emporio Atheniensi opponitur *τὸ Ἀττικόν*? Omnino nulli. Quare si in Grammaticorum verbis mutandum est aliquid, non *ἀστικὸν* in *Ἀττικὸν*, sed *ἀστικὸν* retineri et in locum *τοῦ Ἀττικοῦ* reponi debet; opponuntur ubique *τοῖς ξένοις οἱ ἀστοί* cf. Fr. A. Wolf. Prolegg. in Lept. p. 66.

101) v. Meurs. Pirac. c. 5. Lectt. Att. I, 19.

morantur. Quare quod in Urbe erat collegium *ἀστυνόμων* de conservando ordine et disciplina publica atque munditie, in Piraeeo pariter necessarium fuit et constitutum, ne numero quidem collegarum dispar. [102]) Harpocratio: *δέκα φησὶν εἶναι τοὺς ἀστυνόμους Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ· πέντε μὲν ἐν Πειραιεῖ, πέντε δ' ἐν ἄστει, τούτοις δέ φησι μέλειν περί τε τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν καὶ τῶν κοπρολόγων, καὶ τῶν τοιούτων*; [103]) unde clarum est, nihil hos cum Curatoribus Emporii commune habuisse. Proxime iis accedunt, ut Aristotelem [104]) sequamur, Agoranomi, qui eodem modo opponuntur Curatoribus Emporii, quo *ἀγορὰν* et *ἐμπόριον* inter se differre supra demonstravimus, ut recte Plato mercaturae inferioris, i. e. *τῆς καπηλείας*

---

102) Nescio enim, ex quonam Harpocrationis exemplo Schömannus notitiam viginti Astynomorum hauserit, quorum quindecim in Urbe, quinque vero in Piraeeo essent. Att. Proc. p. 89, n. 61 coll. p. 63. cf. Boeckh. I, 218. 221. Neumann l. l. p. 63 sq.

103) Fusius de iis tractavit idem Schömann. l. l. p. 63 sq.

104) Polit. VI, c. 5. p. 210. ed. Goettl. *Πρῶτον μὲν οὖν ἐπιμέλεια τῶν ἀναγκαίων ἡ περὶ τὴν ἀγορὰν, ἐφ' ᾗ δεῖ τινα ἀρχὴν εἶναι τὴν ἐφορῶσαν περί τε τὰ συμβόλαια καὶ τὴν εὐκοσμίαν· σχεδὸν γὰρ ἀναγκαῖον πάσαις ταῖς πόλεσι τὰ μὲν ὠνεῖσθαι, τὰ δὲ πωλεῖν πρὸς τὴν ἀλλήλων ἀναγκαίαν χρείαν· καὶ τοῦτ' ἔστιν ὑπογυιότατον πρὸς αὐτάρκειαν, δι' ἣν δοκοῦσιν εἰς μίαν πολιτείαν συνελθεῖν· Ἑτέρα δὲ ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη καὶ σύνεγγυς ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων καὶ ὁδῶν σωτηρία καὶ διόρθωσις καὶ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς ἀλλήλους, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι, καὶ ὅσα τούτοις ἄλλα τῆς ἐπιμελείας ὁμοιότροπα. καλοῦσι δὲ ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν.*

curam iis adsignet. [105]) Quae quum ἐν ἀγορᾷ exerceretur, ἡ ἀγορὰ autem in urbe pariter atque portubus esset, primum sequitur, Agoranomorum collegium in Urbe aeque atque in Piraeeo necessario fuisse constitutum; deinde vero re ipsa clare demonstratur, curam eos gessisse ejus partis publici ordinis, quae ad forum rerum promercalium (τὴν ἀγορὰν) spectaret, ne quis in foro et in mercibus emendis vendendisque fraude ageret. Harpocratio: *Ἀγορανόμοι· οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες. Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ κληροῦσθαί φησι πέντε μὲν εἰς Πειραιᾶ· πέντε δ' εἰς ἄστυ·* [106]) Suidas Tom. II. p. 267: *νόμος περὶ ὠνίων κεῖται, ὃς κελεύει ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ. Θεόφραστος γοῦν ἐν τοῖς περὶ νόμων φησί. Δυοῖν τούτων ἐπιμελεῖσθαι δεῖν τοὺς ἀγορανόμους, τῆς τε ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας, καὶ τοῦ ἀψευδεῖν μὴ μόνον τοὺς πιπράσκοντας ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους.* [107]) His ipsis Agoranomis, qui, ut *οἱ τοῦ ἐμπορίου ἐπιμεληταὶ* Emporii, ita Fori (*τῆς ἀγορᾶς*) supremam habebant curam, inferiores et quasi in supplementum erant additi *οἱ σιτοφύλακες* et *μετρονόμοι.* [108]) Nam cum in mercatura sive emtione et venditione frumentaria, cujus maximum erat momentum apud Athenienses, eo usque hominum fallacium maligna protervitas progrederetur, ut rigidissimis etiam, quae mortem minarentur, legibus irriderent, neque solis Agorano-

---

105) de Legg. XI, 920, C.

106) Hic etiam majorem Agoranomorum numerum statuit Schöm. Att. Proc. p. 89, n. 61. cf. Boeckh. I, 52. et Neumann. l. l. p. 66.

107) v. Fr. A. Wolf. ad. Lept. p. 459. Rsk.

108) v. supra p. 27.

mis universa illius multifariae mercaturae cura bene posset tradi, factum est paullatim,[109] ut peculiaribus curatoribus, nomine *σιτοφυλάκων*, frumenti recte et legitime emendi et divendendi administratio committeretur, qui Dardanariorum scilicet fraudes clandestinas occultasque artes et dolos observarent ac denunciarent. Harpocratio: *σιτοφύλακες· ἀρχή τις ἦν Ἀθήνησιν, ἥτις ἐπεμελεῖτο ὅπως ὁ σῖτος δικαίως πραθήσεται καὶ τὰ ἄλφιτα καὶ οἱ ἄρτοι· ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν πεντεκαίδεκα, δέκα*[110]) *μὲν ἐν ἄστει, πέντε δ' ἐν Πειραιεῖ, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ.* Illud enim *δικαίως πιπράσκεσθαι* id sibi vult, quod erat lege cautum, ne quis *πλείω σῖτον* coëmeret *πεντήκοντα φορμῶν.*[111]) A Dardanariis autem coëmtum ut in Urbis praecipue foro veris divenderetur mensuris, Metronomorum erat cura, qui, ut supra p. 27 ostendimus, a mensuris erant et ponderibus invisendis et observandis, quorum igitur in Urbe, quam in Piraeeo, major requirebatur numerus. Harpocratio: *μετρονόμοι· ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν πεντεκαίδεκα, εἰς μὲν τὸν Πειραιᾶ πέντε, δέκα δ' εἰς ἄστυ.*[112])

---

109) v. locum Lysiae supra adductum p. 27. n. 43.

110) Ita cum Valesio mihi legendum censeo, approbante Bremio ad Lys. p. 235. Aliter Boeckh. I, 91. n. 379, quem audaciorem quam feliciorem in hoc loco emendando fuisse autumat Neumann. l. l. p. 95. Ceterum in extremo loco Boeckhius cum Valesio consentit.

111) v. Boeckh. I, 91.

112) Sic enim cum Boeckhio, cui calculum suum non adjicit Neumann. l. l. p. 86, legendum, aut Photii s. v. et Grammatici Bekk. I, 278 auctoritatem capessendam puto, qui legunt: *ἦσαν δέκα τὸν ἀριθμὸν, ὧν πέντε μὲν ἐν ἄστει,*

Exposuimus adhuc res legesque Emporii Atheniensium, disputavimus de aliis etiam curatoribus, qui praeter *ἐμπορίου ἐπιμελητὰς* et (qui his additi fuisse videntur) *πεντηκοστολόγους* atque *ἐλλιμενιστὰς* reliquas administrabant res Piraeei; [113]) devenimus ad extremum locum, qui est de ratione et modo illius curae, quae Curatoribus nostris injuncta erat. Ac primum quidem notandum est, uti reliquos fere omnes magistratus cujuscunque ordinis, ita ipsos etiam curiam suam h. e. *συνέδριον* habuisse iisque scribas suos, a quibus in fungendo munere juvarentur, adfuisse. [114]) Deinde vero omnis eorum cura in eo versata fuisse videtur, ut ordini in Emporio conservando et legibus mercatoriis sustentandis ac tuendis invigilarent; qui has leges essent migraturi, retinerent atque impedirent, qui vero ipsas jam migrassent, cohiberent et lege judicioque in eos posse animadverti certo quodam molirentur modo. Cujus quidem illorum muneris pars prior ita dilucide re ipsa et verbo declaratur, ut planissima omnia et extra omnem dubitationem posita esse videantur; posterior autem locus diligenti explicatione indiget. Nam cum non solum veteres, [115]) qui de magistratibus et re judiciaria

πέντε δὲ ἐν Πειραιεῖ; ad quam quidem rationem se applicavit in emendando Harpocrationis loco Neumann. l. l.

113) De *ἐπιμεληταῖς τῶν νεωρίων* supra jam diximus p. 37.

114) Occurret *ὁ τῶν ἐπιμελητῶν τοῦ ἐμπορίου γραμματεὺς* in loco Demosth. infra explicando. Ceterum de scribis hisce Curatorum Emporii Wesselingium egisse ad Petit. p. 511. ex Schömanno cognosco de committ. p. 318; numquam enim Petiti editionem Wessel. vidi.

115) Eorum sententias infra recensebimus.

Atheniensium commentati sunt, sed recentiores etiam, inque iis praecipue Schömannus, V. D., [116]) Curatores Emporii in verorum magistratuum numero posuerint iisque absolutam jurisdictionem sive moderamen judiciorum concedere non dubitaverint, altius nobis res est repetenda et fusius explicanda.

Grammaticus Bekkerianus (Anecdd. I, 237.) causam mercatoriam explicaturus *δίκη* inquit *ἐμπορική*: *ὄνομα δίκης, ἣν πρὸς τοὺς ἐμπόρους περὶ ὁτουδὴ λαγχάνονται. ἦσαν δὲ αὗται ἔμμηνοι ὑπὲρ τοῦ μὴ τρίβεσθαι αὐτοὺς δικαζομένους καὶ ἀργεῖν τῆς ἀγορᾶς.* Consentit non modo, sed latiorem etiam explicationem addit Pollux Onom. VIII, 63: *ἐμπορικαὶ δὲ δίκαι, καὶ ἔμμηνοι,* [117]) *αἱ τῶν ἐμπόρων, ἢ τῶν περὶ ἐμπορίου* sc. *χρημάτων,* *) unde easdem aliquis possit nominare *ἐμπορίου δίκας.* Quae quidem a Grammaticis exhibita notio quum vocis origini omnino conveniat neque ullis aliorum scriptorum testimoniis angustius circumscribatur, videat Schömannus, V. D., num recte eas tantum actiones *ἐμπορικὰς* nominari statuerit, [118]) quae de contractibus (*συμβολαίοις*) Atticum Emporium attingentibus intenderentur, h. e. de iis syngraphis, quae in Atheniensium Emporio merces hypothecarias in navem importandas esse, vel aliunde coëmtas illic exportandas et divendendas praefinirent; multae enim inde oriebantur mercatorum et nauclerorum controversiae. Nititur Schömannus loco Demosth. adv. Zenoth.

116) Att. Process. p. 87.

117) Glossam verba *καὶ ἔμμηνοι,* quae ex margine irrepserit, puto esse et delenda.

*) v. infra not. 129.

118) Att. Proc. p. 539 sq.

982, 4: *οἱ νόμοι* (sc. *ἐμπορικοὶ*) *κελεύουσιν τὰς δίκας εἶναι τοῖς ναυκλήροις καὶ τοῖς ἐμπόροις τῶν Ἀθήνηθεν συμβολαίων, καὶ περὶ ὧν ἂν ὦσι συγγραφαί· ἂν δέ τις παρὰ ταῦτα δικάζηται,*[119]) *μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην.* Sed legis verba eas tantum ex mercatorum contractibus orientes definiunt causas, quae in judicium deduci omnino non possint, neque vero eas omnes amplectuntur lites, quae in mercatoriis judiciis sint pertractandae. Eodem modo explicandus est Demosth. locus adv. Apatur. 829: *τοῖς μὲν ἐμπόροις καὶ τοῖς ναυκλήροις τὰς δίκας πρὸς τοὺς θεσμοθέτας εἶναι, ἐάν τι ἀδικῶνται ἐν τῷ ἐμπορίῳ ἢ ἐνθένδε ποι πλέοντες ἢ ἑτέρωθεν δεῦρο.* h. e. aliter si fecerint et instituerint navigationem suam atque mercaturam, nihil iis judicia Atheniensia adeundi, ut injurias suas ulciscantur, datur facultas; quibus verbis minime *τῶν ἐμπορικῶν δικῶν* notio et ambitus finitur, sed eae tantum mercatorum ex contractibus et syngraphis existentes controversiae circumscribuntur, de quibus coram judicibus agi Athenis permittebatur; quod generatim enunciata dictione *τὰς δίκας πρὸς τοὺς θεσμοθέτας εἶναι* clare indigitatur. Eadem res apud eundem Demosthenem obtinet adv. Lacrit. 924, ubi verba: *χρήματα δανείσας Ἀρτέμωνι κατὰ τοὺς ἐμπορικοὺς νόμους εἰς τὸν Πόντον καὶ πάλιν Ἀθήναζε* nihil

119) Quamvis explicari possit h. l. verbum *δικάζηται*, tamen quum *παρὰ ταῦτα* ad mercaturam et navigationem referatur, legendum propono: *ἐργάζηται*, quod in rebus mercatoriis et pecuniariis saepissime usurpari vel unus Demosth. locus probet pro Phorm. p. 957: *ἔστιν ἐν ἐμπορίῳ καὶ χρήμασιν ἐργαζομένοις ἀνθρώποις φιλεργὸν δόξαι καὶ χρηστὸν εἶναι τὸν αὐτὸν θαυμαστὸν ἡλίκον.*

aliud significant, nisi non esse migratam sed observatam legem illam supra p. 40 a nobis adductam, quae erat una ex illis, quae vocabantur *νόμοι ἐμπορικοὶ,* sive pars aliqua *τοῦ ἐμπορικοῦ νόμου·* unde sequitur, litem ex ea re ortam in judicium posse deduci. Sed jam ulterius progrediamur et denuo audiamus Demosthenem, qui non solum ex his legitimis contractibus existentes controversias sed cuiuscunque rationis lites, in navigationibus mercatorum legitimis exortas et rem mercatoriam spectantes, in judiciis Atheniensium mercatoriis disceptari posse firmiter contendit; in oratione enim adv. Phorm. 919 *ὑπὲρ δὲ τοῦ τὴν δίκην εἰσαγώγιμον εἶναι,* inquit, *ὁ νόμος αὐτὸς διαμαρτύρεται, κελεύων τὰς δίκας εἶναι τὰς ἐμπορικὰς τῶν συμβολαίων τῶν Ἀθήνησι, καὶ εἰς τὸ Ἀθηναίων ἐμπόριον, καὶ οὐ μόνον τῶν Ἀθήνησιν, ἀλλὰ καὶ ὅσ᾽ ἂν γένηται ἕνεκα τοῦ πλοῦ τοῦ Ἀθήναζε.* Recte igitur Platnerus, V. D., Pollucis verba l. l. sequitur, [120]) atque quaecunque lites de rebus mercatoriis, legitime institutis, coram judicibus disceptarentur, *δίκας ἐμπορικὰς* fuisse statuit; v. c. si quis epibatarum seu sociorum in ipsa navigatione merces compilaret, si qua de portorio disceptaretur, porro si cui mercatori in jure negociandi injuria fieret, merces ex navibus in Emporium exportatae ab aliis, ut debitae, vindicarentur et quae sunt reliqua; ut harum actionum ambitum unquam adcurete circumscriptum fuisse merito dubitaveris. Quare Grammaticus Bekk. supra productus in explicanda voce *ἐμπορικῇ δίκῃ* scite ad vocem *ἐμπόρους* delegat additque *περὶ ὁτουδή.* Bene tamen distin-

120) Att. Proc. I, 291 sq.

guendae sunt et adcurate secernendae a *δίκαις ἐμποϱικαῖς* eae lites atque crimina praecipue, quibus mercatores et naucleri tamquam cives sive *μέτοικοι*, nulla mercaturae et navigationis habita ratione, implicarentur; neque ulla hujus rei restat dubitatio.[121]) Difficilior res in criminibus vere mercatoriis est, quorum actiones et dijudicationes num inter *δίκας ἐπμοϱικὰς* numerari debeant, multi dubitaverint. Erant autem crimina emporica omnes legum Emporii Attici, quas supra p. 38 sq. exposuimus, migrationes, quibus ipsa Atheniensium civitas violari putabatur. His igitur delictis implicabantur, qui in mercibus, praecipue frumento, [122]) importandis exportandisque, aut circa portoria [123]) peccarent; qui, cum in urbe essent, frumenti plus quinquaginta phormis coëmerent; [124]) qui multo aere alieno in Emporio Atheniensi conflato creditoribus pignora indicata et promissa non exhiberent; [125]) omnes denique, qui Emporio utentes ea committerent, quibus Atheniensium mercatura, vel sola, vel una cum singulis mercatoribus, detrimentum caperet. Quae quidem delicta (*δημόσια ἀδικήματα*) quum ea judiciorum ratione, quae vocaretur *φάσις*, Athenienses persequerentur, *φάσις* autem a Polluce [126]) inter *γϱαφάς* recensea-

121) Platner Att. Proc. I, 293.

122) Demosth. adv. Theocr. p. 1325. adv. Lacrit. p. 941.

123) v. Platner, l. l. II, 16.

124) cf. Lysiae orat. adv. Dardann. cum notis Bremii.

125) Demosth. adv. Phorm. p. 922. coll. Meier et Schöm. Att. Proc. p. 263 sq.

126) Onom. VIII, 40 sq., ubi non solum *αἱ φάσεις*, sed *ἐνδείξεις* etiam atque *εἰσαγγελίαι* inter *γϱαφὰς* referuntur. cf. Matthiae de judd. p. 230, n. 1. Schömann. de comitt.

tur, *αἱ γραφαὶ* vero saepe nominentur *δίκαι*, [127]) nullus dubito, publicas hasce actiones *τῶν δημοσίων ἀδικημάτων τῶν περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργούντων* dictas fuisse *δίκας ἐμπορικὰς*, [128]) quamvis consueta dicendi ratione civiles potissimum res mercatoriae hoc nomine intelligerentur. Quae quidem sententia inde etiam probari videtur, quod utriusque generis causarum emporicarum moderamen in judiciis penes Thesmothetas erat, [129]) et hac solummodo ratione Pollucis locus, VIII, 101. qui est de *ἐπαγωγέσιν*, ab omnibus rei judiciariae Atheniensium interpretibus vel male tractatus vel neglectus omnino, sanam interpretationem nanciscitur, quam paullo infra dabimus.

Qui criminis emporici reus agebatur, contra eum adhibebatur *φάσις*. Pollux Onom. VIII, 47: *φάσις δὲ ἦν τὸ φαίνειν τοὺς περὶ μέταλλα ἀδικοῦντας, ἢ περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργοῦντας, ἢ περὶ τὰ τέλη, ἢ τῶν δημοσίων τι νενοσφισμένους, ἢ συκοφαντοῦντας, ἢ περὶ τοὺς ὀρφάνους ἐξαμαρτάνοντας· ἐφαίνοντο δὲ πρὸς τὸν ἄρχοντα, ἐδίδοσαν δὲ ἐν γραμματείῳ γράψαντες τὴν φάσιν, τά θ' ἑαυτῶν καὶ τοῦ κρινομένου ὀνόματα προσγράψαντες, καὶ τίμημα ἐπιγραψ-*

---

p. 179. Platner. l. l. II, 2. Quid? Quod Harpocratio *εἰσαγγελίαν δημοσίας δίκης ὄνομα* appellat.

127) Pollux Onom. l. l. *ἐκαλοῦντο γὰρ αἱ γραφαὶ καὶ δίκαι, οὐ μέντοι καὶ αἱ δίκαι γραφαί.* cf. Matth. l. l.

128) Confirmatur haec explicatio verbis Grammatici Bekk. et Pollucis, *δίκην ἐμπορικὴν* interpretantium. Dicit enim ille: *ἣν πρὸς τοὺς ἐμπόρους λαγχάνονται*, neque *ἣν οἱ ἔμποροι πρὸς ἐμπόρους λαγχάνονται*; hic autem: *ἡ τῶν περὶ τοῦ ἐμπορίου* sc. *χρημάτων* seu *πραγμάτων* sive *ἀδικημάτων.*

129) Infra statim res confirmabitur.

ἀμῆνοι· ὁ δὲ ἄρχων παρεδίδου τὴν κρίσιν δικαστηρίῳ· unde decipi se passus est Matthiae, V. D., qui omnes has *φάσεις* ad Eponymum delatas esse contendit. [130]) Verba enim *ἐφαίνοντο δὲ πρὸς τὸν ἄρχοντα* id tantum significare possunt, ut *ὁ ἄρχων* is intelligatur magistratus, cujus munus curamque illa res attingeret, in qua esset eo usque peccatum, ut *φάσις* adhiberetur; v. c. si de *κακώσει τῶν ὀρφάνων* sermo est, designatur Eponymus, [131]) si de rebus metallicis, Thesmothetae, [132]) si de emporicis eorumdem loco Curatores Emporii. Hi enim Emporio praesunt, omnium ejus rerum adcurata notitia pollent, versantur denique illic, quod in Thesmothetis, qui plurimis rebus districti in Urbe degebant, fieri non poterat. Rationem autem, qua Curatorum et Thesmothetarum officia in delationibus emporicis inter se finirentur et conjungerentur, ut explicemus, Demosthenem sequamur interpretem. In oratione enim Theocrinea [133]) Micioni cuidam, qui frumentum contra leges exportaverat, Theocrines *φάσει* litem intendisse perhibetur; *ταύτην* igitur (pergit actor) *τὴν φάσιν ἔδωκε μὲν* (Theocrines) *προσκαλεσάμενος τὸν Μικίωνα· ἔλαβε δ' ὁ γραμματεὺς ὁ τῶν τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελητῶν· ἐξέκειτο δὲ πολὺν χρόνον ἔμπροσθεν τοῦ συν-*

---

130) de judd. Athss. p. 243. Idem ex male intellecta Leocratis causa apud Lycurgum contra eos, qui frumentum aliquo, quam Athenas devexissent, *εἰσαγγελίαν* fuisse adhibitam falso statuit p. 231. Tu vide Schömannum de comitt. p. 192. sq. Leocratis causam optime explicantem.

131) Ad Eponymum sine dubio tutores tantum deferebantur. Schöm. de comitt. p. 178. n. 21.

132) Pollux On. VIII, 88.

133) p. 1324, 7.

εδρίου ἡ φάσις, ἕως λαβὼν ἀργύριον οὗτος εἴασε διαγραφῆναι, καλούντων αὐτὸν εἰς τὴν ἀνάκρισιν τῶν ἀρχόντων· in quo quidem extremo loco licet dubitari possit, quinam sint οἱ εἰς τὴν ἀνάκρισιν καλοῦντες ἄρχοντες, neque deesse videantur, qui ex ea ratione, quam supra p. 27. exposuimus, Curatores Emporii, non veros Archontas, intelligendos esse censeant, stat tamen sententia nostra, quam confirmaturi alterum etiam locum excitemus, ut clarissime τοὺς ἄρχοντας κατ᾽ ἐξοχὴν, i. e. Thesmothetarum collegium esse intelligendum pateat. [134]) De eadem enim re in eadem oratione Dem. actor disserens p. 1330. ὁμολογοῦντος inquit τοῦ γραμματέως λαβεῖν τὴν φάσιν παρὰ τούτου, ἔτι δὲ τῶν τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελητῶν μόλις μὲν, ἀλλ᾽ οὖν ταὐτὰ μεμαρτυρηκότων, πρὸς δὲ τούτοις τῶν ἰδόντων ἐκκειμένην τὴν φάσιν, καὶ προσελθόντων τοῖς ἄρχουσι, μαρτυρούντων· ubi si οἱ ἄρχοντες iidem essent, atque οἱ τοῦ ἐμπορίου ἐπιμεληταὶ, persuasissimum habeo, Demosthenes pro τοῖς ἄρχουσι dixisset τοῖς ἐπιμεληταῖς, sive, quod erat optimum, αὐτοῖς. Vocem autem τοὺς ἄρχοντας non solum integrum Thesmothetarum collegium, sed singulos etiam ex eorum numero significare, certissimum est. [135]) Sed ut ad Curatores nostros revertamur,

---

134) Nobiscum consensum agunt duumviri eruditissimi A. W. Heffter. d. Ath. Gerichtsverf. p. 444. et Ed. Platner. l. l. I, 132; praecipue autem in addidamentis p. XXXI. Quid Schömannus, V. D., de hac re statuat, certo non scio; quamquam enim φάσεις ἐμπορικὰς non ad Eponymum sed ad Curatores nostros pertinuisse contendit et ad nostrum provocat locum, nihil tamen de explicatione vocis ἄρχοντες addidit; de comitt. p. 178. n. 21.

135) v. Demosth. adv. Mid. 542, 8. cf. Hudtwalk. l. l. p. 82,

revertendum est ad priorem Demosthenis locum. Delator igitur Theocrines (ὁ φαίνων τὸ πλοῖον) Micionem, mercaturae frumentariae contra emporicas leges factitatae reum, in jus vocavit per πρόσκλησιν, et ei magistratui (latissimo vocis sensu utar), ad quem crimina emporica proxime pertinebant, h. e. Curatoribus Emporii, libellum suum cum eorum, quos in jus vocationis testes adhibuerat, nominibus et damni a reo facti aestimatione exhibuit per scribam eodem modo, quo alias accusationum libelli τοῖς τῶν ἀρχόντων παρέδροις tradebantur. [136]) Inde proposito ad publicam notitiam τῷ λευκώματι sive albo accusatorio ante foras synedrii sui, Curatores, quod eorum munus erat, Thesmothetas certiores faciunt de omni re; qui causae in judicium deducendae terminum definientes reum actoremque in primam litis disquisitionem et cognitionem convocant, [137]) quae ἀνάκρισις vocata bis terve iterari poterat; quibus omnibus ex lege confectis actio in judicium ordinarium inducebatur, eique Thesmothetae, [138]) tamquam ἡγεμόνες, praeerant; Curatores autem vel nihil omnino in judicio egisse, vel una cum actore accusationem sus-

---

not. 26. Contra vero saepius vocem θεσμοθέτας tres reliquos etiam Archontas designare Schömann. docet Att. Proc. p. 60.

136) v. Demosth. p. 1332, 14,

137) Hucusque igitur Theocrines forensi τῆς φάσεως normae satisfecerat; quae sequuntur, negligebantur ejus fallacia atque incuria. Bene hanc rem praeter Schömannum de comitt, p. 177. exposuit Platner iisdem, quos in nota 135 excitavi, locis.

138) De mercatura enim et metallis disceptationes ad Thesmothetas pertinebant. Matthiae de judd. p. 246.

cepisse et testimonia subministrasse atque exhibuisse videntur. Erant enim tantummodo *ἐπιμεληταὶ*, iisque *τὸ ἐπιτάττειν* deerat, quo qui judicium moderantur, carere nequeunt. Huic autem nostrae demonstrationi minime obversatur locus Dem. adv. Lacrit. 941, ubi *τοῦ ἐμπορικοῦ νόμου* aliqua explicatur particula: *Νόμος. Ἀργύριον μὴ ἐξεῖναι ἐκδοῦναι Ἀθηναίων καὶ τῶν μετοίκων τῶν Ἀθήνησι μετοικούντων μηδενὶ, μηδὲ ὧν οὗτοι κύριοί εἰσιν, εἰς ναῦν ἥτις ἂν μὴ μέλλῃ ἄξειν σῖτον Ἀθήναζε, καὶ τἄλλα τὰ γεγραμμένα περὶ ἑκάστου αὐτῶν· ἐὰν δέ τις ἐκδῷ παρὰ ταῦτ', εἶναι τὴν φάσιν καὶ τὴν ἀπογραφὴν τοῦ ἀργυρίου πρὸς τοὺς ἐπιμελητάς,* [139]) *καθὰ περὶ τῆς νεὼς καὶ τοῦ σίτου εἴρηται, κατὰ ταῦτα.* Illud enim solum hac lege declaratur, primos ad quos proxime pertinerent et deferri deberent crimina emporica Curatores fuisse Emporii; neque vero *φάσιν ἐμπορικὴν*, quae a Thesmothetis, ut veris *εἰσαγωγέσιν* judicio ordinario tradebatur, ab ipsis Curatoribus eo inductam esse sequitur; nam custodiunt sulummodo Emporium ejusque res et crimina, neque vindicant ipsi. Quae quidem ratio ut clarius etiam perspiciatur, in memoriam revocemus populiscitum Atheniense, conservatum a Plutarcho, [140]) quo clare elucescit, Strategos, qui curam gererent universi exercitus et quae in eo committe-

139) Platner l. l. II, 11. Vox *ἀπογραφὴ* l. l. certum et adcuratum argenti summae, ut aliis locis bonorum damnatt., indicem significare videtur. cf. Schöm. de Comitt. p. 22. Att. Proc. p. 254.

140) Vit. decem oratt. p. 225 ed. Hutt. T. VII. cf. Meier et Schöm. A. P. p. 108, n. 19. ubi vehementer dubito, num quae Schömannus de jurisdictione Strategorum in universum praeceperit, omnino vera sint; quam rem latius exponere non est hujus loci.

rentur criminum, *αὐτομολίας γραφὴν* et *εἰσαγγελίαν* non ipsos quidem in judicium indroduxisse, sed, facta ad senatum populumve denunciatione, ordinario judicio, cui Thesmothetae tamquam *εἰσαγωγεῖς* praeessent, Strategi autem auctoritatem et testimonium adjicerent, rem esse traditam.

Igitur cum vera *τῶν δικαστηρίων ἡγεμονία* in Emporii Curatores non cadat, neque ii in censum ac numerum *τῶν εἰσαγωγέων* veniant, [141]) numquam de iis usurpari potest dictio : *τὴν δίκην, γραφὴν, φάσιν εἰσάγειν*, si proprio haec vox sumitur sensu. Quod quamvis negetur, non tamen negatur, inferiorem eosdem aliquam in incipiendis, instruendis atque ordinandis causis operam navasse; [142]) quam quidem, paullo antea p. 55 enarratam, quamvis et ipsa aliquando voce *εἰσάγειν* praeter normam usurpata pos-

---

141) Erravit igitur Schömannus, qui eos *τοῖς εἰσαγωγέσιν* adcenset Att. Proc. p. 86 sq.; in quo omnes, qui ante ipsum de hac re scripserant, antecessores habuit. Nam ut G. Postellii negligentiam et ineptissimas nugas (de Magistrr. Athss c. 34.) praetereamus, Carol. etiam Sigonius de Republ. Ath. IV, 3. itidemque Joh. Meursius, pluribus hicce locis, eos in *εἰσαγωγέων* numerum referre non dubitaverunt.

142) Cogitari etiam potest, Curatores nostros, cum experientia et rerum legumque emporicarum scientia, auctoritate item, multum pollerent, in multis mercatorum litibus et controversiis, ne in judiciis transigi eas oporteret, *suasorum et arbitrorum* munere non ita raro functos esse. Quod Xenophon confirmare videtur de Vectt. III, 3 : *εἰ δὲ καὶ τῇ τοῦ ἐμπορίου ἀρχῇ ἆθλα προτιθείη τις, ὅστις δικαιότατα καὶ τάχιστα διαιροίη τὰ ἀμφίλογα, ὡς μὴ ἀποκωλύεσθαι ἀποπλεῖν τὸν βουλόμενον, πολὺ ἂν διὰ ταῦτα πλείους τε καὶ ἥδιον ἐμπορεύοιντο.* unde quibus difficultatibus in hoc loco offenderat Schömannus l. l. evanescunt eae omnino.

set exprimi (v. supra cap. II. p. 35 sq.), consueta tamen et recta dicendi ratione verbo *ἐπάγειν* fuisse designatam, potuisse saltem eo designari, probandum nunc in nos suscipiemus, idque eo modo, ut, in quibus dictionibus praepositio *ἐπί* simili ratione occurrere videatur, eas inter se et cum nostro vocabulo comparemus.

Ac primum quidem duos alios, qui inveniuntur, vocem *ἐπάγειν* cum vocabulis *ψῆφος* et *τίμημα* conjungendi modos commemoremus; quorum alter, i. e. *τὴν ψῆφον ἐπάγειν*, de Epistatis dicitur, res in comitiis discutiendas ita praeparantibus, ut populus, summus suarum rerum dominus, in suffragia possit discedere; [143]) alter autem, qui est *τὸ τίμημα ἐπάγειν*, de accusatore adhibetur, qui e. g. in *βλάβης* causis damni aestimationem a reo compensandi judicibus in antecessum proponit, ita tamen, ut nulla ipsius in ea re obtineat dijudicandi auctoritas. [144]) Huc proxime accedunt voces *ἐπιβάλλειν* et *ἐπιβολή*, quibus compendiaria actio forensis declaratur, quum pro auctoritate magistratus noxio item in antecessum poena injungitur. [145]) Verbum autem *ἐπαγγέλλεσθαι* non solum est in antecessum denunciare, [146]) sed etiam, ut docuit Taylorus, [147]) operis

143) v. Schöm. de comitt. p. 121.

144) Demosth. adv. Mid. 523: *τῶν μὲν ἱματίων καὶ τῶν χρυσῶν στεφάνων τῆς διαφθορᾶς καὶ τῆς περὶ τὸν χόρον πάσης ἐπηρείας βλάβης οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν καὶ τίμημα ἐπάγειν, ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι.* cf. Platner Att. Proc. I, 202. Budae. Comm. L. Gr. p. 34.

145) v. Brem. ad Lys. p. 258. cf. supra p. 21.

146) Lysias adv. Ergocl. 819: *εἰ ὑμῖν Θρασύβουλος ἐπηγγέλλετο τριήρεις ἔχων ἐκπλεύσεσθαι.*

147) ad Demosth. de falsa legat. 340, 12; in Schæferi Apparat. T. II. p. 411. sq.

alicujus formam proponere, rem seu argumentum futurum delineare et rationem instituere istius, quod est exsequendum; v. c. apud Demosth. Phil. I, 44, 13: *οἶμαι τοίνυν ἐγὼ ταῦτα λέγειν ἔχειν, μὴ κωλύων εἴ τις ἄλλος ἐπαγγελλεταί τι.* Sequantur *οἱ ἐπιγνώμονες*, alias *τῶν ἐλαιῶν ἐπιμεληταὶ* dicti, in quorum appellatione praepositio *ἐπί* cognitionem praeparatoriam de olearum sacrarum violatione significare videtur; [148]) ipsam enim veramque hujus rei cognitionem in judicio, quod erat Areopagitarum, non iidem, sed majores magistratus, i. e. Thesmothetae, [149]) moderabantur. Eundem porro hujus praepositionis usum duo evincunt loci Demosthenis, in quibus verbum *ἐπικρίνειν* occurrit. Alter eorum in ejus epist. III, 1477 legitur, ubi est: *ἀλλὰ τὴν τῆς ἀξίας προσθήκην συλλογιζόμενος τὰ τοιαῦτ᾽ ἐπέκριεν·* alter vero in orat. pro Cor. 238 : *περὶ δὲ τοῦ ἀδυνάτου ἐπικρινέτω ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγὸς* [150]) *καὶ ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως καὶ ὁ γραμματεὺς*

---

148) v. Bremi. ad. Lys. p. 40. cf. supra p. 37. adde Meier. et Schöm. l. l. p. 566, n. 27.

149) v. Lysiam de olea sacra p. 49. ed. Bremi, qui nobiscum consentit. Quid Schömannus sibi velit, qui Att. Proc. p. 566 *ex parte* hos *ἐπιμελητὰς* sive *ἐπιγνώμονας* illius rei jurisdictionem habuisse docet, extricare nequeo. Ego eamdem inter eos et judiciorum *veros* moderatores rationem intercessisse statuo, quam supra p. 55 de Curatoribus Emporii exposui.

150) „Strategus ὁ *ἐπὶ τῶν ὅπλων* commemoratur, quia alius adhuc strategus erat ὁ *ἐπὶ τῆς διοικήσεως*. Praetor ille castrensis erat, in causis militaribus: hic praetor aerarii.“ Reiske. cf. p. 56. not. 140. *τὰς τῆς τριηραρχίας καὶ ἀντιδόσεως δίκας* tamquam *moderatores* in judicia introduxisse *strategi* perhibentur ab uno fere Suida v. *ἡγεμονία δικαστ.* Nam ex om-

τῆς βουλῆς, unde elucescit, verbum ἐπικρίνειν de illis dici fuisse solitum qui de ea re, quae vel nunquam, vel postea demum in judicium ordinarium esset deducenda, in antecessum cognoscerent causamque quasi arbitrarentur. Denique eodem modo ἐπάγειν et εἰσάγειν verba inter se distincta fuisse videntur, quo ἐπαγγελίαν ab ἐνδείξει et εἰσαγγελίᾳ differre certo scimus; [151]) ἔνδειξις enim et εἰσαγγελία in manifestis et certis criminibus adhibebantur, ἐπαγγελία autem contra eos, qui nondum convicti erant antea, sed tum primum arguebantur; ergo si cui denunties accusationem, eorum criminum, quorum a te insimulatur, nondum convicto, sed nunc primum convincendo; erat igitur sola accusationis denunciatio, quam deinde judicium sequebatur. [152]) Quare si constaret, quod cum aliis VV. DD. negat Schömannus, [153]) eum ex Archontum numero, qui vocaretur Βασιλεὺς, violatarum religionum (τῆς ἀσεβείας) crimina et actiones Eumolpidis eo modo tradere solitum fuisse ad dijudicandum, ut ipse illo-

nibus iis locis, quos e Demosthene excitavit Platner. II, 98., solus ille adv. Lacrit. 940. huc possit trahi et in hanc sententiam converti, sed aliter etiam explicari, quin ei vis adhibeatur, eorum ope, quae supra p. 35 sq. de verbi εἰσάγειν usu minus communi commentati sumus. Sed ne plura; res difficilior est, quam quae hic adcuratius exponatur.

151) Confundi tamen eas nonnunquam inter se Ruhnken. docuit ad Timae. p. 98.

152) v. Schömann. de comitt. p. 112. 240 sq. coll. Att. Proc. p. 400.

153) Att. Proc. p. 117; contra Sancto-Crucium de mysteriis I, 250 sqq; quocum consentire videtur Tittmann. descript. rerr. publl. graecc. p. 606 sq. cf. Platner. II, 147 sq. et de Eumolpidarum rebus in universum Baehr. ad Plut. Alcib. p. 186.

rum judiciorum non haberet moderamen, Eumolpidae vero, non illius sed sua ipsorum auctoritate, liberi rem disceptarent, adcuratissime locutum esse Scholiastam Demosthenis Augustanum [154]) contendi possit, qui de Archonte Rege dicit: *ὁ γὰρ βασιλεὺς ἐπεμελεῖτο τῶν ἱερῶν πραγμάτων καὶ ἐπῆγε τὰς τῆς ἀσεβείας γραφὰς πρὸς τοὺς Εὐμολπίδας.*

Utut hoc est, certissimum habemus, Curatores Emporii nullum judiciorum moderamen habuisse, [155]) eosque, ut lege ac judicio in *τοὺς περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργοῦντας* posset animadverti, eo omnino modo fuisse molitos, ut vel ipsi criminum emporicorum apud majores magistratus et judices existerent indices atque accusatores, quod sola re adfirmari videtur, vel si ad primos eos aliorum denunciatio fieret, opera sua ac studio Thesmothetis illa crimina in judicium legitimum deducendi facultatem et copiam qualicunque tandem modo procurarent, h. e. rem in antecessum perquisitam, ab aliis in judicium inducen-

154) In Demosth. Rsk. T. II, p. 137. Ceterum vocem *ἐπάγειν* de accusatore etiam dici, causam, imprimis graviorem, intendente, ut respondeat Latinorum *impingere*, notissimum est. v. qui hanc vocem, ut fere omnia vocabula forensia, bene explicuit, Budaeum in Commentt. L. Gr. p. 374 sq.

155) Eodem scilicet modo, quo Agoranomos, qui praecipue cum iis componi debent, *τῇ τοῦ δικαστηρίου ἡγεμονίᾳ* caruisse statuendum est. Aristophanis enim locus (Vespp. v. 1397.) quem cum Hefftero (l. l. p. 272.) Schömannus (Att. Proc. p. 92.) et Platnerus II, 340 in confirmandam illorum *ἡγεμονίαν* adhibent, nihil nisi Agoranomorum jus *τῆς ἐπιβολῆς*, (quod Schömannus (l. l. p. 477.) Curatoribus etiam Emporii vindicare studet) et si quae majora perpetrarentur in Foro rerum promercalium crimina, indicandi ea et persequendi, neque vero *τῶν εἰσαγωγέων* more et auctoritate in judicia inducendi, munus et honorem evincit.

dam, propius eo adducerent.[156]) Quam quidem curam administrativam verbo *ἐπάγειν* exprimi solitum fuisse, saltem potuisse exprimi, ex antecedentibus perspicuum esse speramus; eodemque Jul. Pollúcem Onom. VIII, 101. spectare vel maxime auguramur. Sunt enim verba Pollucis haec: *ἐπαγωγεῖς, οἱ τὰς ἐμμήνους δίκας ἐπάγοντες· ἦσαν δὲ προικὸς, ἐρανικαὶ, ἐμποριχαί.*[157]) Ubi duae me res offendunt. Primum enim graves illae actiones metallicae, quae, alias[158]) relatae inter menstruas causas, majoris momenti erant, male hoc loco desiderantur; deinde vero *αἱ προικὸς δίκαι,* quae a nullo alio ne grammatico

---

156) Non possum quin hoc loco rei explicandae causa commemorem XL Viros, quorum auctoritatem, cum Agoranomorum ratione omnino componendam, eam fuisse statuo cum Platnero II, 183, ut *τὰ περὶ τῶν βιαίων* eo modo praecognoscerent *inquirendo,* ut judiciorum praesidibus Thesmothetis ea adduci possent, qui in legitima illas deinde res inducerent judicia. Aliis praeterea haec res exemplis possit illustrari, quae congerere nunc supersedeo; illud unum non praetermittam, eodem modo a me accipi verbum *εἰσάγειν* apud Demost. adv. Everg. 1147 init., ab Hudtwalckero aliter explicitum p. 70 sq.: *προσεκαλεσάμην πρός τε τοὺς ἀποστολέας καὶ πρὸς τοὺς τῶν νεωρίων ἐπιμελητάς· οὗτοι γὰρ εἰσῆγον τότε τὰς διαδικασίας εἰς τὸ δικαστήριον περὶ τῶν σκευῶν;* et ita quidem eâ intelligi volo, quae supra dixi p. 29. not. 49. coll. not. 39.

157) Unde Sigonius de Rep. Ath. IV, 3. singularem Epagogeon magistratum invita extricavit Minerva; in qua re quamvis cautiorem se praestiterit Sigonio Schömannus, nimis tamen ingenio suo indulsit V. D., Pollucis verba rejiciendo, condemnando. Att. Proc. p. 67. 115.

158) v. Demosth. adv. Pantaenet. 966. cf. Boeckh. d. Laur. Silb. Bergw. p. 131.

quidem [159]) inter *ἐμμήνους* numerantur, non modo in hoc earum indice adparent sed primo etiam ponuntur loco. Unde fit; ut mihi temperare omnino nequeam, quin verba *ἦσαν δὲ κ. τ. λ.* addidamentum insititium esse censeam, a docto an indocto lectore sive librario in margine quondam adscriptum, nunc vero e Pollucis textu ejiciendum; ut nihil dicat Grammaticus, nisi: *ἐπαγωγεῖς· οἱ τὰς*, sive, quod praeferam, *τινὰς ἐμμήνους δίκας ἐπάγοντες*, quibus solas mercatorias actiones h. l. intelligi, facilis est interpretatio. Nam ut rerum mercatorum difficultatem, gravitatem, magnumque numerum hic taceamus, observatione dignum est vel maxime, reliquas tres menstruarum actionum species sola fere grammaticorum [160]) auctoritate in hunc censum venire itaque adpellari, non item emporicas; Demosthenes enim ipse eas duobus praecipue locis hoc nomine insignivit; in orat. de Halon. 79. et adv. Apatur. 900. in quorum priore ob hanc ipsam eae rem *ἀκριβεῖς* vocari videntur. [161])

Posteaquem igitur in exquirendis et exponendis rebus Curatorum Emporii [162]) diutius versati actionum

---

159) Suidas I, 723. *ἔμμηνοι δίκαι, αἵ τε ἐμπορικαὶ, καὶ ἐρανικαί.* Harpocratio: *ἔμμηνοι δίκαι, αἵ τε ἐμπορικαὶ, καὶ ἐρανικαί. Δημοσθένης καὶ Ὑπερίδης·* nulla omnino *τῶν τῆς προικὸς δικῶν* facta mentione.

160) Exceptis actionibus metallicis, quas *ἐμμήνους* fuisse etiam Demosthenes testatur. v. not. 158.

161) *αἱ ἐμπορικαὶ δίκαι οὐκ ἦσαν τότε, ὥσπερ νῦν, ἀκριβεῖς, αἱ κατὰ μῆνα. — Αἱ δὲ λήξεις τῶν δικῶν τοῖς ἐμπόροις ἔμμηνοί εἰσιν ἀπὸ τοῦ βοηδρομιῶνος μέχρι τοῦ μουνυχιῶνος.* v. Schöm. Att. Proc. p. 579. Heffter. l. l. p. 400.

162) De Curatoribus Emporii etiam Van Dale quaedam prorsus inutilia attulisse non me fugit; v. ejus Dissertatt. de Marmm. Antqq. IX, 1. p. 746. Eorum *δοκιμασίαν* Dinarchus memorat

emporicarum unum explicuimus genus, quod est de puniendis criminibus [163]) circa Emporium (τοῖς ἀδικήμασι δημοσίοις τῶν τὸ ἐμπόριον κακουργούντων) ulterius jam progrediemur, alterum etiam genus, quod in civilibus causis mercatorum [164]) versatur, explicaturi; in quarum disquisi-

---

adv. Aristogit. 81: ἐμπορίου ἐπιμελητὴς λαχὼν ἀπεδοκιμάσθη ὑπὸ τῶν τότε δικαζόντων ἄρχειν τὴν αὐτὴν ἀρχήν, ubi Meierus (Att. Proc. p. 206. not. 86.) vel αὐτὴν delendum vel ταύτην τὴν legendum esse censet. Sed videtur ἡ αὐτὴ ἀρχὴ esse munus *modo nominatum*, ut apud eundem p. 94 ἡ αὐτὴ πονηρία protervitatem significat *pluries jam demonstratam*, quae p. 190 ἔμφυτος πονηρία adpellatur. Igitur Bekkeri etiam conjectura τοιαύτην proponentis necessaria esse non videtur. Ceterum quid Schneiderus adnotaverit de Curatoribus nostris ad locum Xenoph. de Vectt. III. 3, laudatus a Neumanno l. l. p. 77, nescio.

163) Quae et ipsa ἐμπορικὰς δίκας adpellari potuisse supra p. 51 sq. probare studuimus; cui sententiae praeter ea, quae illic afferebantur argumenta, aliud etiam gravissimum accedit. Eorum enim crimina, qui metalla instituerent indeque quaestus facerent, non indicata hac re civitatis magistratibus, omnino erant publica; quae si quis in judicio ulcisceretur, ἀγράφου ille μετάλλου δίκην intendere (γράφεσθαι) dicebatur. v. Suidam et Zonaram v. ἀγράφου μετάλλου δίκη. cf. Boeckh. d. Laur. Silberbergw. p. 129; qui p. 132. Pollucis locum de φάσει, supra p. 53. a nobis explicitum, hoc modo exponit, ut vel solam τὴν τῆς κακώσεως τῶν ὀρφάνων φάσιν ad Eponymum, vel omnes omnino φάσεις ad illum ita deferendas fuisse contendat, ut idem eas Eponymus suam cuique magistratui moderandam traderet. Quod quidem posterius ideo improbo, quod uniuscujusque Archontum eandem fuisse auctoritatem atque potestatem neque alterum alteri paruisse constat.

164) Etiam in civilibus mercatorum rebus et controversiis, quae nondum in judicium essent delatae, Curatores Emporii nonnumquam suasorum et arbitrorum munere functos esse, veri est persimile, ut supra docui not, 142.

tionem cum **Nautodicarum** institutum et ratio nos deducat, ea finienda commentationi nostrae finem imponamus.

Etenim si verum est, quod nemo dubitat, crimina emporica coram populo ipso, quatenus in supremis judiciis Atheniensium appareret, dijudicata fuisse atque punita, ut quae severissimas ipsius reipublicae leges violarent summamque populi auctoritatem negligerent atque laederent, [165]) negari tamen nequit, civilium causarum, quae ex re mercatoria, i. e. de contractibus nauticis et syngraphis, de usuris porro ac foenore nautico, inque universum de pecuniaria praecipue re, difficili illa atque multis modis impedita, agerentur, eam fuisse indolem ac naturam, quae, ut intelligeretur atque percipi posset, usum aliquem non ita tenuem ac communem, subtilem etiam aliquando cognitionem exigeret; ut eaedem causae non a quovis cive Atheniensi pertractari, sed nonnisi ab hominibus rerum illarum peritis disceptari atque dijudicari potuisse videantur. Quamvis igitur Atheniensium judicia ex ipso populo fuisse constituta atque composita nemo neget, concedendum tamen est, in

165) Eo enim consilio primitus atque vere instituta esse videntur publica Atheniensium judicia, ut **publica** ulciscerentur crimina, quod, ut Platnero I, 26, ita mihi etiam Demosthenes indicare voluisse videtur pro Cor. 268: *οἰκοδομῆσαι δὲ τοὺς προγόνους ταυτὶ τὰ δικαστήρια ὑπείληφα οὐχ ἵνα συλλέξαντες ὑμᾶς εἰς ταῦτα ἀπὸ τῶν ἰδίων κακῶς τὰ ἀπόῤῥητα λέγωμεν ἀλλήλους, ἀλλ᾽ ἵνα ἐξελέγχωμεν, ἐάν τις ἠδικηκώς τι τυγχάνῃ τὴν πόλιν.* ubi obiter advertam, vocem *οἰκοδομῆσαι* ea probare, quae supra p. 31 de propria vocis *δικαστηρίου* significatione *aedificii* exposuimus.

nulla omnino alia re, quam in mercatorum causis, magis opus fuisse judiciis peritorum. [166]) Accedit quod hujusmodi peritorum judicia in Atheniensium ratione sortiendi judices bene poterant constitui, quin publicae illi, quae in universum valeret, rei judiciariae a civibus ipsis administrandae rationi repugnarent; eo quidem modo, ut qui uniuscujusque rei experientia et scientia pollere viderentur, consueto sortiendi more in judicia deligerentur. [167]) Quod igitur argumentum, ex re ipsa desumtum, quum aliarum quarundam actionum simili disceptatione illustretur et stabiliatur, [168]) tantum abest, ut praejudicata capti

---

166) Unde suspicor judiciorum menstruorum rationem non id solum sibi voluisse, ut actoribus praesentiae facultas provideretur, sed *peritorum* etiam judicum idoneus et sufficiens numerus praesto esset, h. e. ut *αἱ δίκαι* evaderent *ἀκριβεῖς*.

167) v. c. in judicia violationis et profanationis mysteriorum ex omni civium multitudine idoneus judicum *μεμυημένων* numerus sorte trahi solebat. Meier. et Schöm. Att. Proc. p. 133. coll. nuperrima censura libri Platneriani, quam Schömannus egit in Annall. crit. Berol. 1827. p. 1399. Heffter. l. l. p. 399.

168) „Erat enim nonnunquam deserenda vulgaris in sortiendis judicibus Atheniensium ratio, quum in quibusdam causis non quosvis nullo discrimine Heliastas judices sortiri liceret, sed certae conditionis homines requirerentur. Ex hoc causarum genere erant *γραφαὶ δειλίας, λειποταξίου, ἀστρατείας* et fortassis aliorum ejusmodi delictorum militarium, de quibus nonnisi *οἱ στρατιῶται* judicare poterant, h. e. ii, qui illo bello militaverant, ad quod ista delicta pertinebant. Docet hoc Lysias or. in Alcib. p. 520. extr. Simile quiddam etiam tum fieri necesse erat, quum ad judicandam aliquam causam non alios adhiberi liceret, nisi qui mysteriis initiati essent, cujus generis exemplum extat apud Andocidem de myst. p. 14. Etiam hanc ipsam Andocidis orationem apud initiatos habitam esse docent verba Oratoris p. 16. Neque dubitari pot-

opinione omnem hanc rem cum fastu rejiciamus et quae forte testimonia apud Veteres occurrant, infirmare ac refellere studeamus, ut simplicem ipsaque re oblatam et paene obtrusam rationem omnibus modis confirmaturi simus.

Quo ducti animo ac sententia, bene memores consentientis auctoritatis Veterum, qui ad unum omnes rerum mercatoriarum εἰσαγωγεῖς Thesmothetas perhibent, [169]) amplectamur et firmiter teneamus Hesychii testimonium, cujus haec sunt verba Tom. II, 659: *Ναυτοδίκαι· οἱ περὶ τοῦ ἐμπορίου δικασταί,* [170]) *ἐφ᾽ ὧν καὶ αἱ τῆς ξενίας ἐκρίνοντο δίκαι.* Ergo judices declarantur Nautodicae, [171]) quod si verum est, ag-

---

est quin omnes ejusmodi causae, quae ad mysteria arcanaque sacra pertinerent, apud initiatos judices agendae fuerint.“ Schöm. de sortit. judd. p. 29 sqq. cf. Meier. et Schöm. Att. Proc. p. 133. coll. 149. Tittmann. descript. rerr. publl. Graecc. p. 227. Heffter. l. l. p. 397 sqq. quamquam cum eodem Schömanno (illius censurae l. l.) Platneri sententiam rejicio, *τῶν μεμυημένων* judicia *perpetua et propria judicum collegia* fuisse autumantis; praecipue cum plerique Atheniensium illis mysteriis essent initiati. Platneri locus est I, 284. In memoriam denique revocem *μεταλλικὸν δικαστήριον* in argumento orat. Dem. adv. Pantaenet. p. 965; nihil tamen certi inde elici posse de propriis rerum metallicarum judicibus, bene animadvertit Platner I, 308.

169) Demosth. adv. Apat. 892; adv. Phorm. 920; adv. Lacrit. 940; Pollux Onom. VIII, 88.

170) Schömannus Att. Proc. p. 83. qui magistratus fuisse Nautodicas contendit, non judices, verba *δικάζειν* et *δικαστάς*, etiam de moderatoribus et praesidibus judiciorum dici observat coll. p. 28 et 98, quod negari omnino nequit; modo reliquae etiam res ejus sententiam confirmarent.

171) Nobiscum consentiunt Boeckh. oec. civ. Ath. I, 54. Meier. de bonis damnatt. p. 95. Heffter l. l. p. 400 sq. not. 3. Titt-

noscimus in iis ipsis peritorum judicium, a re ipsa quodammodo eflagitatum, quod de rebus mercatoriis sedebat. Sed cur tandem minus verum? Ego nunquam rem negaverim; affirmo constanter; alii negant. [172]) Videlicet Hesychii verbis, quae luce sunt clariora, et naturae rei duae vel maxime adversantur res. Inter oratores enim Graecos omnes unus Lysias Nautodicarum mentionem facit; grammatici autem ceteri praeter Hesychium ἀρχὴν eos vocant et ἄρχοντας. Quod ad Lysiam attinet, qui prae omnibus nobis est audiendus, in illius oratione de Pecuniis Publicis, quae sola oratio Nautodicas commemorat, actor procedit, [173]) qui in eo erat, ut, cum Eratoni cuidam pecuniam credidisset nauticam, publicandis Eratonis bonis, sortem mutuo datam perderet. Non solum enim ea, quae actor (cujus pater debitori crediderat) in compensandam debiti summam vindicare sibi studebat, et de quibus cum possessoribus filiis adhuc certaverat (erant autem ager Cicynnensis et domus), sed illa etiam quae diu jam possederat e bonis Eratonis mortui (erat is ager Spettius, quem Praetore Xenaeneto, causae victor, occupaverat) — ea omnia in publicandorum bonorum indicem fuerant ab iis

mann. l. l. p. 226 sq. Platner I, 293 sq. coll. XLII. Bremi ad Lysiam p. 189 sq.

172) Schömannus nempe locis in nota 170 laudatis et nuperrime etiam confidentissime in censura illa libri Platneriani p. 1369 sqq; quocum consentit C. O. Müllerus in censura librorum Schömanni et Meieri, Heffteri et Platneri, in schedis literr. Gotting. a. 1827 p. 791; praeterea Matthiae de judd. Athss. p. 247.

173) Hujus orationis argumentum omnemque causam docte explicuit Meierus de bonn. damnatt. p. 190, unde sua deprompsit Bremius ad Lys. p. 185.

pertineat, vel, licet eo pertineat, non tamen recto nomine et vero titulo ad ipsum delata, vel denique non secundum leges judicata sit, et si qua alia ducebatur idonea ratione. Nostro igitur loco duabus de causis Thesmothetae (hi enim sunt *οἱ ἄρξαντες*) actionem removere potuisse videntur. Non enim quo ea ad ipsorum tribunal omnino non pertineret, illis ejus rejiciendae facultas dabatur, (erant enim veri in rebus mercatoriis *εἰσαγωγεῖς*) sed quoniam tamquam *χρέους δίκη* in universum, [179]) neque vero, quod fieri erat necesse, tamquam *δίκη χρέους ἐμπορικὴ* ad magistratum moderatorem erat prolata; altera autem, eaque gravior causa in eo fuisse videtur, quod procul dubio illo ipso temporis articulo, cum actor rem in judicium deferre vellet, mercatoriorum judiciorum (*τῶν ἐμμήνων*) spatium ac terminus ne ex longinquo quidem appropinquaret; quae quidem judicia cum essent postea suo tempore constituta, (*ὅτε ἔλαχον οἱ Ναυτοδίκαι*) quamvis eis Thesmothetae rem tradidissent, casu tamen an fallacia factum esse videtur, ut ejus disceptationem judicum nostrorum collegium vel non inciperet toto quo sederent tempore, vel ad finem non deducereut absolutam; [180]) id quod verba *λαχόντες οὐκ ἐξεδίκασαν οἱ Ναυτοδίκαι* perspicue mihi demonstrare videntur. Quae cum ita sint, et extremo Lysiae loco distincte discernantur *οἱ πέρυσιν ἄρξαντες* h. e. Thesmothetae, *πρὸς οὓς αἱ δίκαι ἐλήχθησαν,* et *οἱ νῦν,* h. e. hujus ipsius anni, ex omnibus judicum centuriis sorte delecti, *ναυτοδί-*

---

179) Pollux Onom. VIII, 31.

180) Pluribus hoc fieri poterat causis; fallacia etiam, cujus latissimas patere vias quis est qui neget?

και, veri judices *) declarantur Nautodicae eo quidem modo, quo Hesychius de iisdem loquitur. [181]) Quod Pollux etiam, quamvis contrariam nostrae sententiae explicationem *τῶν ναυτοδικῶν* exhibeat Onom. VIII. 126, confirmare et se ipse erroris convincere ea de causa videtur, quod Nautodicas inter Ephetas et Diaetetas, h. e. inter judices, neque inter magistratus quales eos fuisse ait collocat.

Igitur cum Nautodicae Athenienses non solum in

---

*) Consentit Lucianus Dialogg. Meretrr. T. II. p. 204 ed. Bip. *τάλαντον γάρ, οἶμαι, ὀφείλων τῷ πατρὶ, οὐκ ἤθελεν ἐκτίνειν· ὁ δὲ παρὰ τοὺς ναυτοδίκας ἀπήγαγεν αὐτὸν, καὶ μόλις ἐξέτισεν αὐτὸ, οὐδ' ὅλον.* cf. Schömann. Att. Proc. p. 86. qui Luciani etiam auctoritatem infringere studet, ut ne ille ejus sententia obversetur, *Lysiae praecipue aetate, neque vero caeterorum oratorum temporibus Nautodicas, eosque judiciorum moderatores, in Atheniensium republica fuisse institutos.*

181) Non ea ratione Nautodicas *judices* fuisse affirmo, ut perpetuum omnino et liberum penitus a magistratuum auctoritate eorum judicium fuisse contendam, quod jure negat fieri potuisse Schömannus, sed ut sorte tractos in unumquemque annum judices intelligam *peritos;* unde verisimile est, eorum adpellationem non proprium sed *appellativum* potius nomen fuisse; perspicuum igitur est, nihil contra nostram sententiam eo probari, quod a solo Lysia Nautodicarum nomen usurpetur, unde hujus tantum oratoris aetate eos institutos fuisse Schömannus praefidens collegisse videtur; eodem fere modo, quo *ἡγεμονίαν δικαστηρίου Demothenis tempore non fuisse* in foro Attico, inde concludere ridiculum esset, quod in omnibus hujus oratoris scriptis vel nunquam vel rarissime tantum illa dictio occurrit. Accedit quod Demosthenis quidam loci, a Platnero, mea quidem sententia, bene in hanc rem adhibiti, certos atque proprios rerum mercatoriarum judices indigitant. Platner. I, XLII. repugnat item Schömannus in censura p. 1369 sq.

universum judices essent, sed ejus generis judices, in quibus solito graviora officia exigerentur difficiliumque rerum subtilis et adcurata cognitio expectaretur, iidemque uno tantum anni tempore sederent, fieri non potuisse videtur, quin liberiores illi ab auctoritate Thesmothetarum, quorum munere et *δοκιμασίᾳ* scientia ista rei mercatoriae et experientia minime continebatur, res mercatorias transigerent interque judices et magistratus sive curatores medii quodammodo penderent.[182] Unde potissimum factum esse videtur, ut Grammatici fere omnes, quorum testimonio id, quod e Lysia praecipue evicimus, nullo modo potest everti, *ἄρχοντας* eos vocarent.

Posteaquam igitur Nautodicarum naturam et rationem descripsimus eosque contra grammaticorum errores in judicum numerum[183] vindicavimus, unum superest, ut quod de iis praeterea docent sola eorundem commentatorum veterum testimonia, quomodo sit intelligendum dispiciamus. Suidas v.

182) Talem rem ab Atheniensium institutis omnino non alienam fuisse, vel soli *Nomothetae* demonstrant, qui, si adcuratius rem inspexeris, nihil fere sunt nisi judices; quamquam toto coelo ab eo absum, ut Nautodicas cum iis componam.

183) Quantopere enim res ipsa in causis mercatoriis judices efflagitet rei mercatoriae bene peritos, aliarum etiam gentium et urbium instituta clare demonstrant, e quibus causas mercatorias nonnisi a mercatoribus potuisse dijudicari perspicuum est; eo autem modo, ut id genus judices *arbitrorum* solummodo, vel *privatorum* vel *publicorum*, naturam et rationem haberent atque exhiberent, quorum collegia apud medii aevi populos *Gilden* vocabantur; singuli vero judices *Capitularii, Consules, Scabini, Decani, Telonarii* audiebant. v. C. D. Hüllmann. das Städtewesen des Mittelalters, p. 170. p. 322. sqq.

Ναυτοδίκαι· ἄρχοντες ἐπὶ τοῖς ναυκλήροις δικάζοντες καὶ τοῖς περὶ τὸ ἐμπόριον ἐργαζομένοις· ἄλλως· ἀρχή τις ἦν Ἀθήνησιν οἱ ναυτοδίκαι. Κρατερὸς γοῦν φησιν, Ἐὰν δέ τις μὴ ἐξ ἀμφοῖν γενοῖν γεγονὼς φρατρίζῃ, διώκειν δεῖ τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων, οἷς δίκαι εἰσί· λαγχάνειν δὲ τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ πρὸς τοὺς ναυτοδίκας. Prioribus omissis posteriorem solummodo partem Harpocratio habet v., qui praeterea addit: *Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσιν· Ἐθέλω βάψας πρὸς ναυτοδίκας ξένην ἐξαίφνης·* quocum Suidas iterum conferendus est v. *βάψας· Βάψας τὴν κώπην ἔπλευσας,* [184]) *ἐλθὼν πρὸς τοὺς ναυτοδίκας, οἳ τὰ τῆς ξενίας ἐδίκαζον.* Quod, quum judices solum, non magistratus fuisse Nautodicas merito statuere videamur, eodem, quo superior notitia, modo accipiendum est, quandoquidem *ξενίας* etiam actiones ad Thesmothetas, tamquam *εἰσαγωγεῖς* pertinuisse liquido constat. [185]) Consentit nobiscum in hac difficili re eatenus Meierus, V. D., ut qui Grammaticorum Nautodicas tradant jurisdictionem in causis *ξενίας* habuisse, ei videantur judicem cum magistratu confudisse; [186]) idem tamen V. D. justo audacius *ξενίας δίκας* in *ξενικὰς* mutare integrumque legis fragmentum, conservatum a Cratero, ut spurium, saltem foede mutilatum, omnino rejicere et condemnare videtur. [187]) Ulterius

---

184) Videtur hoc fragmentum ex Aristophanis *Δαιταλεῦσι*, quod, quale nunc habemus, numquam penitus intelligi possit, ad *ἐμπόρους* respicere, ad quos *τὴν τῆς ξενίας δίκην* praecipue spectasse infra demonstrabimus.

185) Pollux VIII, 88. Demosth. contra Neaer. 1363. cf. Matthiae. de judd. p 246 sqq.

186) De bonis damnatt. p. 95.

187) Excidisse enim verba aliquot ex Harpocrationis loco, eumque hunc fere in modum esse legendum statuit: *ἐὰν δέ τις*

etiam, qui Meieri audaciam improbat, progreditur Platnerus, [188]) qui ita penitus huic grammaticorum notitiae fidem abrogat, ut omni omnino spreta istorum auctoritate alia omnia legem a Cratero laudatam voluisse sibi, ideoque nimis proprio Marte legendum esse censeat: *ἐὰν δέ τις ἐξ ἀμφοῖν ξένοιν ἐρανίζῃ.* Jure igitur nuperrime admodum contra eum exsurrexit Schömannus, [189]) qui verum dicere videtur, cum, quoniam *ἐμπορικὰς δίκας* itemque *ξενίας* ab eorundem judicum collegio dijudicatas fuisse apud Athenienses mirum sit, eam rem ad rejicienda omnium grammaticorum testimonia non satis esse contendit.

Nam cum duo apud Athenienses modi essent inquirendi in cives adulterinos, seu inquilinos civium jura contra leges usurpantes, quorum alter *διαψηφίσει*, alter vero judicio ordinario instituebatur, prior ille ad normam quidem quandam judiciorum fieri solebat, carebat tamen omnino eorum vi atque auctoritate, quandoquidem certo scimus, qui demotarum justis an injustis suffragiis e demo essent moti, eos in illorum sententia adquiescere neutiquam oportuisse, sed rem suam in legitimum judicium, cui Thesmothetae praeerant, deferre potuisse. [190]) Deinde vero itidem nemo nescit, hos eosdem, quamvis a tribulibus rejecti et arrogatae civitatis condemnati ad Thesmothetas non provocarent, nullam tamen sustinuisse

---

μὴ ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν γεγονὼς φρατρίζῃ, διώκειν εἶναι (pro *ἐξεῖναι*) *Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ οἷς ἔξεστιν, ἐν τοῖς ναυτοδίκαις· οἷς δὲ δίκαι εἰσὶν πρὸς τοὺς ξένους (ἐμπόρους) λαγχάνειν τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ πρὸς τοὺς ν.*

188) l. l. I, 295 sqq.

189) In censura lib. Platn. p. 1370 sq.

190) v. Meier. de bonis damnatt. p. 89.

violatae populi majestatis poenam, ut qui aut abire Athenis, aut inquilinorum conditione in Urbe remanere possent, penso legitime constituto tributo et observatis, quae id genus hominibus Athenis observandae essent, rebus.[191]) Ex quibus omnibus vel maxime est perspicuum, priorem hunc adulterinos cives ejiciendi modum nulla umquam ratione ad Nautodicarum judicia pertinuisse. — Sequitur alter modus, qui erat legitimi judicii, tribusque continebatur generibus. Nam vel rejecti demotarum calculis rei (*οἱ ἀποψηφισμένοι*), cum in illorum sententia non conquiescerent, provocabant ad Thesmothetarum dicasteria ipsi, quod paullo antea commemoravimus; vel accusatores, nulla in antecessum facta apud demotas accusatione et *διαψηφίσει*, statim reos per *γραφὴν ξενίας* in judicium ducebant; vel denique iidem, reo a demotis injuria agnito et in numerum ipsorum recepto,[192]) integram minimeque neglectam rem ad judices ordinarios proferebant. Quorum igitur trium generum duo tantum posteriora iis grammaticorum verbis designantur, quibus Nautodicarum de *ξενίᾳ* judicandi potestas affirmatur. Interim diffiteri nequeo, extremum praecipue actionum peregrinitatis genus grammaticorum verbis indicari mihi videri; quandoquidem illud privatae magis causae indolem

---

191) id. ib. p. 86.

192) id. ib. Multifariae enim in hac re erant fraudes atque fallacia. Nam non ii solum largitionibus utebantur, qui peregrinitatis suae conscii in civitate retineri volebant, sed ii quoque, qui inimicos suos civitate privaturi erant, largitionibus ex eorum popularibus accusatores solebant et falsos testes subornare, qui illos in civitatem irrepsisse contenderent.

habuisse, quam ad publicam *τῶν γραφῶν* rationem accessisse vix possit quisquam negare, grammatici autem, cum de officio Nautodicarum res peregrinitatis dijudicantium praecipiunt, non *γραφὴν ξενίας*, qui est communis in hac re usus, sed *δίκην* constanter memorant. [193])

Ceterum qui *ξενίας* accusari poterant apud Athenienses, duabus continebantur classibus, quarum priori adscribendi sunt illi, qui exiguo temporis spatio Athenis commorantes veri *ξένοι* erant, tenuissimo vocis sensu ita adpellati. Quibus cum non ita facilis fraudum via pateret neque multiplex civitatis contra leges usurpandae occasio se offerret, difficile est creditu, actiones peregrinitatis contra hoc potissimum genus hominum saepe adhibitas adhibendasque fuisse. Alia res in *μετοίκοις* erat, qui alteram peregrinorum conficientes classem non solum diutius Athenis degebant, sed, domiciliis ibi positis, totam plerumque aetatem in illa celeberrima urbe terebant, ut facilius non modo sed facillime civium sibi jura arrogare possent. Qui quum et ipsi simplici plerumque *ξένων* nomine vocarentur, factum est, ut *ξενίας γραφὴ* in

193) Praeter unum Hesychium, ut puto; is enim T. II, p. 702 adnotat: *ξενίας δίκη· ἐπὶ τῶν, ὡς πολιτῶν, μετεχόντων τῶν δημοσίων*. Neque tamen urgeo verbum, quod utramque mentem habere notissimum est. Georg. Lecapen. in Matthaei Lecct. Mosqq. I, 60: *Δίκη γραφῆς διαφέρει. δίκη μὲν γὰρ λέγεται, ἣν ἐπάγει τις κρίσιν κατά τινος, ὑπὲρ ἰδίων οὖσαν πραγμάτων· γραφὴ δὲ λέγεται κοινῶς, πᾶσα κατηγορία· ἰδίως δὲ λέγεται γραφὴ, ἡ ὑπὲρ δημοσίων δικαζομένη κρίσις, καὶ ὅταν κατηγορῇ τις ψηφίσματος ἢ νόμου γραφὴν ἀποφέρῃ, καὶ γράφεσθαι λέγεται. ὅταν δ' ἐπὶ δημοσίοις ἀδικήμασιν ἢ ἰδίοις ἐγκαλεῖν λέγεται.* cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 472.

jure Attico ad *μετοίκους* potissimum pertineret pertineatque, [194]) *μετοίκων* autem numerum longe majorem e mercatoribus constitisse, quemnam tandem hoc fugiat? Quod eo quidem modo verum est, ut *ἔμπορος* et *μέτοικος* aliquando inter se omnino non differre, sed ejusdem esse significationis videantur, probante Hesychio, qui Tom. I, p. 1205 *ἐμπορίτας* interpretatur *μετοίκους*, eodemque modo vocem *ἐμπόριος* explicat. [195]) Unde quod omnibus fere mirum erat et scrupulum movebat, *ξενίας* et *ἐμπορικὰς δίκας* in iisdem judicibus apud Athenienses conjunctas fuisse, non modo mirum non esse [196]) sed probabili etiam ratione explicari videtur.

---

194) v. Fr. A. Wolf. Prolegg. ad Dem. Lept. p. 67. not. 60.

195) Non enim huc traham eundem Hesychium l. l. v. *ἐμποριωνήτας*, a Kustero male, optime a Tib. Hemsterhusio de *ἐνοικίου*, non *μετοικίου*, exactoribus acceptum.

196) Singulari prorsus modo, a veritate longe remoto, hanc rem intellexit Matthiaeus de judd. Athss. p. 247: „*ξενίας* inquiens *δίκας* introductas etiam esse a *ναυτοδίκαις*, *judicibus* in Emporiis constitutis, grammatici tradunt, nempe quando in Emporio Atheniensium aliquis versabatur, civium jura usurpans.“ In quo loco mire confudit V. D. *introducendi* lites et *dijudicandi* eas munera.

Addenda et Corrigenda.

Pag. 10. Mercaturae tria Aristoteles statuit genera, Polit. I, 4, p. 20 ed. Goettl.: τῆς μεταβλητικῆς μέγιστον μὲν ἐμπορία· καὶ ταύτης μέρη τρία, ναυκληρία, φορτηγία, παράστασις· διαφέρει δὲ τούτων ἕτερα ἑτέρων τῷ τὰ μὲν ἀσφαλέστερα εἶναι, τὰ δὲ πλείω πορίζειν τὴν ἐπικαρπίαν· ad quem locum omnino videndus est Desid. Heraldus Observv. in Jus Att. et Rom. p. 88. sq.

pag. 15. not. 15. Opposuit Dinarchus Emporium τῷ ἄστει in orat adv. Demosth. p. 66: τί κατεσκεύακε Δημοσθένης οἰκοδόμημα ἐν τῷ ἐμπορίῳ τῷ ὑμετέρῳ ἢ ἐν τῷ ἄστει ἢ ἄλλοθί που τῆς χώρας;

pag. 22. Monitos volo lectores meos, me in explicando verbo διοικεῖσθαι consulto ad publicum solummodo ejus usum respexisse, omissis aliis ejusdem vocis significationibus.

pag. 26 infr. Eadem ratione, qua vox ἀρχὴ latissimo sensu usurpatur, voces προστασία, πρόστασις, et προστατεία dicuntur. v. Ruhnken. ad Timae. p. 246. Lobeck. ad Phrynich. p. 529.

pag. 30 not. 52. Debui omnino testes adducere Hudtwalckerum l. l. p. 67, not. 9. et Platnerum I, 22 et 422.

pag. 48. In loco Anecdd. Bekk. I, 237. advertenda est constructio verbi ἀργεῖν cum Genitivo. v. H. Stephani Thes. L. Gr. c. 3783. C. laudante Schaefero in Apparat. Crit. Demosth. T. IV, p. 527.

p. 54. not. 134. Ex pluribus locis Processus Attici Meier-Schömanniani patere videtur, hos Viros Doctos in Demosthenis loco laudato τοὺς ἄρχοντας non Archontum collegium, sed Curatores Emporii interpretari.

p. 7. l. 12 legendum est : faciant.
p. 17. not. 20. l. 4. conventibus.
p. 19. n. 25. l. 8. de ἡγεμονίᾳ.
ibidem : peritorum.
p. 20. l. 11. calumniosi.
p. 23. l. 8. διοικήσεις.
p. 29. n. 50. molestiam.
p. 34. n. 69. εἰσαγωγεῦσιν et sic p. 52. l. 10. ἐπαγωγεῦσιν.
p. 41. l. 28. post vocem Athenarum ponenda est major interpunctio.
p. 43. not. 100. l. 5. minimum.
p. 46, et ubicunque vox dardanarii recurrit, scribenda est litera minuscula.
p. 50. l. 4. infr. adcurate.
p. 56. l. 20. solummodo; ibidemque not. 104 l. 4. rescripserim praecepit pro praeceperit.
p. 64. l. 2. post vocem Emporium ponatur comma.

Paucos admodum errores in accentibus, in spiritu et jota subscripto commissos indicare supersedeo.



